Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Wilhelm Baier Samuel Coryli

Joh. Guilielmi Baieri, Quondam Theologi famigeratissimi &c. Compendii Theologiae Positivae Synopsis : Per succinctas & intellectu faciles quaestiones, ubi omnes termini Philosophici exterminati, non solum ad usum S.S. Theol. Sudiosorum, sed etiam Scholasticae luventutis ; Ita adornata, ut nihil eorum, quae ad fidem & salutem aeternam creditu sunt necessaria, quaeque in B. Auctoris Compendio prostant, sit omissum; sed id passim etiam dictis Scripturae Sacrae confirmatum ; Cum indicibus I. Capitum, II. Quaestionum & III. Memorabilium Rerum & Verborum

Francofurti: Lipsiae: [Erfurt]: Stößel, 1702

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823331911

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823331911/phys_0001
DFG

Fh-3088.1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823331911/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn823331911/phys_0003
DFG


Et truncа & saucia cresco.
Iugiter ut stirps hæc et trunca et saucia crescit.
Sub cruce sic crescit iugiter alma Fides.
Ad Libros IPSorij.

I. h. - 3088 1. 2.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823331911/phys_0007
DFG



BAIERUM Noriberga dedit, sibi vendicat Illum,
Jena, dein Hall, mox Vinaria
atque Polus!

ad posuit Auctor

JOH. GUILIELMI BAJERI,

Quondam Theologi famigeratissimi &c.

COMPENDII THEOLOGIÆ POSITIVÆ SYNOPSIS

Per succinctas & intellectu faciles quæstiones, ubi omnes termini Philosophici exterminati, non solum ad usum S.S. Theol. Studiosorum, sed etiam Scholasticæ Juventutis:

Ita adornata, ut nihil eorum, quæ ad fidem & salutem æternam creditu sunt necessaria, quæque in B. Auctoris Compendio prostant, sit omissum; sed id passim etiam dictis Scripturæ Sacræ confirmatum.

Cum Indicibus I. Capitum, II. Quæstionum & III. Memorabilium Rerum & Verborum.

Per

M. SAMUELEM CORYLI,
aliàs NITSCHMANN,
Poët. L. C. p. t. Serenissi: Princ. Schvvartzburg: Informator.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud JOH. CHRISTOPH. Stößel/ Bibliopol. Erf.
Anno MDCCII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823331911/phys_0009
DFG

OMNIPOTENTISSIMO.
NUMINI.
REGI. REGUM.
ET
DOMINO. DOMINANTIUM.
TRINUNI. DEO.
DEO. PATRI.
DEO. FILIO.
ET
DEO. SPIRITUI. SANCTO.
COELI. & TERRÆ.
CREATORI. CONSERVATORI. GUBERNATORI. PROTECTORI. DOMINATORI. SALVATORI. SANCTIFICATORI. &c. &c.
PERPETUO. UNICO. UNICE. CHARO.
UNICEQVE. OMNI. PIETATIS. CULTU. RELIGIOSISSIME COLENDO. &c.
nec non
DEORUM. TERRESTRIUM.
NATIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823331911/phys_0010
DFG

SERENISSIMO PRINCIPI
Ac DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DUCI SAXONIÆ JULIACI CLIVIÆ & MONTIUM necnon ANGARIÆ &WESTPHALIÆ LANDGRAVIO THURINGIÆ MARCHIONI MISNIÆ PRINCIPI COMITI HENNEBERGIÆ COMITI MARCÆ & RAVENSBURGI SAYNÆ item ac WITTGENSTEINII DYNASTÆ RAVENSTEINII

PRINCIPI Ac DOMINO
meo CLEMENTISSIMO.

Ex Bibliotheca Academiæ Rostochiensis

Parili ratione

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS

AC DOMINIS

DOMINO

ERNESTO AUGUSTO

ET

DOMINO

JOHANNI ERNESTO

DUCIBUS SAXONIÆ JULIACI CLIVIÆ & MONTIUM necnon ANGARIÆ & WESTPHALIÆ LANDGRAVIIS THURINGIÆ MARCHIONIBUS MISNIÆ PRINCIPIBUS COMITIBUS HENNEBERGIÆ COMITIBUS MARCÆ & RARENSBURGI DYNASTIS RAVENSTEINII

PRINCIPIBUS AC DOMINIS

meis CLEMENTISSIMIS

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823331911/phys_0012
DFG

Itemque EORUM COGNATIS

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS

AC DOMINIS

DOMINO

HENRICO

ET

DOMINO

AUGUSTO

PRINCIPIBUS de SCHWARTZBURG COMITIBUS de HOHENSTEIN DYNASTIS ARNSTADII SONDERSHUSÆ LEUTENBERGÆ LOHRÆ & CLETTENBERGÆ

PPINCIPIBUS AC DOMINIS

meis CLEMENTISSIMIS

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823331911/phys_0013
DFG

Nec non Principali honore dignis

CELSISSIMIS COMITIBUS

AC DOMINIS

DOMINO

FRIDERICO ANTHONIO

ET

DOMINO

LUDOVICO GVILIELMO

COMITIBUS de SCHWARTZBURG & HOHENSTEIN DYNASTIS ARNSTADII SONDERSHUSÆ LEUTENBERGÆ LOHRÆ & CLETTENBERGÆ

COMITIBUS ac DOMINIS meis CLEMENTISSIMIS &c.

DIa CorDa, Dona Cara

&, cum auſpicatiſſimis Virium, Virtutum Vitæque incrementis, omnigenam eamque ſempiternam à TRIN-UNO NUMINE ardentiſſimis exoptans precibus FELICITATEM levidentiſſimam

Opellam iſtam

humillime conſecrat & dd.

O.O. PRINCIPP. ac COMITT.

Subjectiſſimus Servus

Auctor.

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

TAmetsi me non fugiat communis illa Eccl.XII,12.quæstio:*Faciendi plures libros,nullum esse finem*, ita ut B. Dannhavverus Præfat. Epit. Dialect. haud immerito *imminuendam potius, quam augendam librorum copiosissimam ac supervacuam segetem:*cum nuncin primis illudVenusini Poëtæ effatum valeat :

Scribimus indocti doctique poëmata passim;

Nihilominus tamen libri illi, qui ad summi rerum omnium Moderatoris gloriam,proximi reique literariæ emolumentum adprime pertinent amplificandum, meritissimo jure evulgantur: quo nimirum vel aliorum longæ desidiæ indormientium excitentur animi, vel jam excitati in virtutum tramite confirmentur.

Hinc sponte fluit palmaria ad concinnandam SYNOPSIN istam BAJERI EROTEMATICI me pervehementer exstimu-

fans causa. Scilicet quandoquidem, post Sempiternum NUMEN, non duntaxat mihi, sed & proximo mea debeam officia; Itaque inprimis Juventuti Sacris Theologiæ studiis consecratæ, prodesse gestiens, levidensem opellam istam adornare decrevi: præsertim cum similem laborem, jam pridem ac sæpius, SUMMI quoque PROCERES à B. D. D. JOH. GVILIELMO BAJERO, (quondam Præceptore meo, omni observantiæ, honoris & amoris cultu devenerando, atque etiam post cineres suos debite colendo,) licet quidem, propter insperatam Ejus mortem, frustra, exoptarint. Utpote quo laudata Juventus, prægustum in trivialibus, ut ajunt, Scholis inde habens, eo laudabiliora ad Salana ἀκροατήρια adferre fundamenta, eoque facilius ac felicius, exquisitissima cura, ex solidissimis juxta ac subtilissimis B. JOH. MUSÆI, hem quam acutissimi Philosophi & consummatissimi Theologi! scriptis, instar Summæ, ad clementissimum mandatum SERENISSIMORUM NUTRITORUM Universitatis Jenensis concinnatum Theologiæ Positivæ COMPENDIUM, nunquam satis laudati B. BAJERI, intelligere,

telligere, atque id in succum sangvinem convertere possit. Nullum quippe est dubium, si studiosa Juventus mox in Gymnasijs [quo de sedulos Scholarchas & Artium Magistros sedulam quoque daturos operam certum est] prima heic jecerint fundamenta, quin majores demum, quam usque dum Docti sunt experti in laudata Academia, NOSTRI sint passim daturi fructus.

Equidem multis hic mihi foret deprædicanda, munificentissima, incomparabilis & propemodum divina clementia REVERENDISSIMI atque SERENISSIMI DUCIS Saxo-Cizensis, DN. DN. MAURITII GVILIELMI &c. &c. Principis ac Domini mei clementissimi, cujus clementi munificentia extorris & multis nominibus infelix mea Musa erecta, ex tristi Pathmo, in lætissimam umbram Academicam revocata, atque istic non solum indubitata spe futuræ in SUO DUCATU promotionis, per speciale Diploma, verum etiam crebris EJUSDEM SERENITATIS beneficijs, integro fere triennio, interdum inops consilij fuit recreata. Multis nominibus laudandi mihi forent Principes Jenensis Universitatis NUTRI-

TORES SERENISSIMI &c. &c. DUCES, PRINCIPES ac DOMINI mei clementissimi, quibus etiam haud vulgaria literarum præsidia devotissima mente cernuus sæpicule accepi. Plurimæ supereſſent adhuc [ut jam nihil addam de aliorum SUMMORUM & pijsſimorum VIRORUM satis liberalibus in me meritis largisſime effusis] humillimæ gratiæ decantandæ CLEMENTISSIMÆ DOMUI SCHWARZBURGICÆ, præsertim vero SERENISSIMO PRINCIPI ac DN. DN. CHRISTIANO GVILIELMO, PRINCIPI de SCHWARTZBURG &c. &c. Domino meo clementissimo: qui me non saltem Principalibus suis stipendijs suffultum lætisſimam Academicorum studiorum meorum coronidem imponere; sed & post amaras literarum radices, ad dulcisſimos earum fructus carpendos, hoc eſt, ad Principales SUAS Dapes accedere, atque, ut EJUSD. SERENITATIS, SERENISSIMÆQVE DUCIS SUÆ, PRINCIPES NATI NATÆQVE, pietate, moribus honeſtisque Diciplinis PRINCIPIBUS dignis, à me quam optime imbuerentur, clemẽtisſime jusſit. At enim vero licet omnibus his O. O. BENEFICIS ANIMIS devotisſimum meum in

EOS

EOS animum levidentisſimo hocce gratitudinis τεκμηρίῳ teſtatum reddere geſtiam; tamen in EORUM ex merito deprædicandis virtutibus & meritis, quis tanto ſe tuto committere Oceano valebit? quis molem hanc Ætna graviorem in ſe, ſine diſcrimine ſuſcipere auſit? Sane ipſe aurei oris Chryſoſthomus, lactei nectaris Theophylactus, ſvaviſſimi eloquij Iſocrates, quin ipſe eloquentiæ Parens Cicero, & eloquentisſimus Demoſthenes, ceu quondam diſertisſimo Oratori Mureto, coram Rege Poloniæ peroraturo evenit, digitum ori imponere cogentur. Itaque ardentisſime duntaxat, devotisſimarum gratiarum inſtar, adnecto ſuſpiria, Sempiternum NUMEN, dum ſpiritus meos regetartus, devotisſime oraturus, ut has nunquam ſatis laudatas *Saxonicas* & *Schwartzburgicas* terras DOMOSque ſempiterna atque exoptatisſima coronet FELICITATE!

Ad Te, Lector Benevole, rurſum venio, de Synopſeos præſentis Methodo, ut in prima fronte eam videas & intelligas, verbo dicturus. Nimirum videbis hic me, qua ordinem Capitum

B. Au-

B. Auctoris, presisſimo pede Ejus veſtigia ſequutum: ex quibus omnes Articulos fidei â B. Auctore expoſitos tam fundamentales, quam Non-fundamentales creditu neceſſarios depromſi, ſubtilem Philoſophiam atque terminos ejus in ſubtiliſſimo ſublimique Compendio B. Præceptoris mei paſſim obvios, in non admodum neceſſarijs ſicco pede tranſij, in Articulis autem fundamentalibus, penitus exterminavi eos, familiaribus vocibus efferre, varie illuſtrare, & denique dictis Scripturæ Sacræ omnia confirmare ſtudui. In Non-fundamentalibus vero, quorum quæſtiones certis Aſterismis & ſtellulis ſunt inſignitæ, & qui magis ad acroamaticam ſcientiam pædiamque Academicam pertinent, magis in vulgus notos atque tritiores terminos retinui, alios varie circumſcripſi, variaque ratione faciliores red-

didi. Quin & ipsas Periodos B. Auctoris, ob materiæ multitudinem, multitudine quoque incisorum diffusas, & propter id scribendi genus, intellectu haud faciles, multo faciliores feci, & quæ partim in §:§. seu Paragraphis, (quos omnes singulis quæstionibus, ex quibus sunt haustæ, subnexui) partim in eorum Notis sunt dispersa, in unam quasi massam contraxi; verbo: ita omnia familiora reddidi, ut quisque lingvæ Latinæ gnarus, suapte opera, in Tyronum quæstionibus, qua sensum literalem, tametsi non semper Mysteriorum, quæ Lynces quoque, animales nempe homines, talparum more cœcutire sinunt, omnia intelligat. Definitiones vero B. Auctoris omnes, ea propter capitibus adjunxi, & illibatas retinui, ut & provectoria ingenia maturius in Gymnasijs acribiæ academicæ adsvescant,

&

& demum in Academijs eorum animos exſatiare valeant.

Si qua vero in hac opellula fuerint, quæ Benignisſimi Lectoris animum non ſatis expleverint; ea, velim, novercantibus meis fatis ſuperioribus, typothetarum autem ſphalmata, abſentiæ meæ adſcribi. Faxit interim Doctor eruditæ lingvæ CHRISTUS JESUS, & tota SS. TRINITAS, ut cœleſtem doctrinam hanc ſinguli, quorum intereſt, non tantum recte intelligere; ſed & juxta eandem omnem vitam ſuam inculpate inſtituere, atque ſic præſenti & ſempiterna frui poſſint FELICITATE.

Vale L. B. ex animi ſententia pijsque iſtis conatibus pie fave, quo eo facilius ac citius Nucleus Auguſtanæ Confeſſionis Enucleatus, ſeu Syſtematica Auguſtanæ Confeſs. Exegeſis, uſibus publicis proſtare queat.

Scrib. Sondershuſæ A. O. R.
M. DCCI, Menſe Febr.

I. N. J.

PROLEGOMENORUM

CAPITIS I.

QVÆSTIO I.

Quid est Theologia?

THeologia, non est qualiscunque cognitio, vel sermo de DEO, aut rebus divinis, sed talis doctrina de DEO ejusque rebus, quæ non duntaxat proferri, verum etiam certis rationibus confirmari defendique potest. vid. B. Auctor. §. 1.

2. Quomodo dividitur Theologia?

In Naturalem, & Revelatam. §. 2.

Quid est Theologia Naturalis?

Est doctrina de DEO, quæ nobis ex lumine naturæ constat, dum ex visibilibus & invisibilibus creaturis esse aliquod Numen Omnipotens colligimus: quemadmodum etiam ex sola natura humana colligimus virtutes esse honestas, ideoque sectandas; vitia vero esse turpia, atque ideo fugienda, juxta Rom. I, 20. II, 15 §. 2.

*4. Estne Naturalis Theologia sufficiens ad salutem?

In *Statu* quidem *integritatis* & ante lapsum Adami, poterat quilibet homo, ductu Theologiæ

Naturalis, & per naturalem cognitionem cultumque DEO debitum, absque defectu & peccato præstandum pertingere, & hoc modo æternam à DEO beatitudinem impetrare. At in *Statu corruptionis* & lapsus per ipsius corruptæ naturæ conditionem â DEO aversus atque ad ea, quæ DEO displicent, est propensus. Hinc quum nec illum cultum, quem DEO deberi vi luminis naturæ intelligit, præstare possit; nec illum, quem DEUS in sacra Scriptura à nobis haberi vult, recte intelligat; nec denique sciat tale medium vel Mediatorem, mediante quô DEUS inobedientiâ hominum læsus, & peccatis eorum infensus, placari valeat: Igitur nulli hominum Naturalis Theologia in *Statu Lapsûs* seu *Corruptionis* ad æternam salutem sufficit § 8.

§. Quid est Theologia Revelata?

Est doctrina de DEO, rebusque divinis & Articulis fidei, quæ ex limpidissimis fontibus Israëlis seu divina Revelatione factâ in Scriptura Sacra docet, confirmat, & defendit omnia ea, quæ homini peccatori, cum ad fidem in Christum cognitu, tum ad vitæ sanctimoniam factu sunt necessaria, consequendæ à DEO & in DEO beatitudinis æternæ causâ. §. 38.

6. Cur Theologia Revelata docetur ac discitur?

Ut ex ea discamus, quid credere, aut non credere; pariter quid facere aut omittere debeamus: quo amorem ac bonitatem DEI, salvificam fidem in Christum, & tandem æternam salutem consequamur,

quamur, Trinunum DEUM, tanquam summum nostrum bonum perpetim intueamur, ac Eum sempiternis laudibus deprædicemus. §. 16. seqq.

7. Quodnam est medium perveniendi ad hoc summum bonum consequendum?

DEUS Trinunus ex mera sua gratia & bonitate, Summum hoc Bonum omnibus omnino hominibus offerens; DEUS Filius absolutissimô suô merito, id Summum Bonum etiam omnibus promerens; DEUS Spiritus Sanctus, per verbum DEI & Sacramenta id omnibus amplexuris conferens obsignansque; & denique [sine quo medio nemo salvus esse potest] vera fides in CHRISTUM θεάνθρωπον ejusque consummatissimum meritum, Summum hoc Bonum, vitam scilicet æternam, sibi penitus & finaliter applicans, & adproprians. §. 21. seqq.

8. Quâ ratione verô ad hoc Medium pervenire possumus?

Per verbum DEI & Sacramenta. *Fides* quippe *fit ex auditu, auditus autem per verbum DEI*, Rom. X, 17. Hinc *verbum* DEI dicitur *semen*, unde fideles nascantur, Jac. I, 21. adeoque tribuitur verbo DEI talis vis & efficacia, quâ fides salvifica in hominibus produci potest. *Baptismus* etiam dicitur lavacrum regenerationis, Tit. III, 5. quæ (regeneratio] sine fide esse nequit. Igitur Baptismus est velut incentivum quiddam, quod fidem in hominibus accendit, & quam accensam *Sacramen-*

tum Cœnæ Dominicæ confirmat, juxta promissionem Christi 1. Cor. XI, 23. 24. Ubi ergo talis est fides, ibi Amor & dilectio DEI, ibi remissio peccatorum, ibi denique vita & salus æterna est. §. 24.

9. Quid porro ab hominibus verâ fide præditis requiritur?

Ut in promtu habeant, non tantum *Credenda*, (seu probe sciant *Articulos fidei* tam *primarios*, quam *secundarios*) sed & *Agenda* (seu quid in vita Christiana agendum, quidve omittendum sit) ut scilicet juxta illos fidei Articulos, & ductum Scripturæ Sacræ, omnem suam vitam sedulò instituant pieque vivant. §. 26.

*10. Quid autem sunt Articuli fidei, & qui dicuntur Primarij?

Articuli fidei, dicuntur dogmata Scripturæ Sacræ, ex quibus, tanquam partibus, arctò nexu cohærentibus Fides in Christum & DEUM Trinunum comparatur constatque: prout nempe partes & articuli digitorum sibi invicem coaptati & arcto nexu cohærentes, ita etiam dicuntur hi fidei Articuli. *Primarij* vero, quod eorum doctrina salvâ fide, conscientiâ & salute, nec ignorari nec negari debeat: v. c. de Scripturæ Sacræ Θεοπνευσία, de DEO Trinuno, Christo Θεανθρώπῳ Peccato &c. §. 27. seqq.

* 11. Qui vero dicuntur Articuli secundarij?

Quorum doctrina licet forte salvô salutis fundamento ignorari, non tamen negari potest, ut Articulus

ticulus de divinarum Personarum characteristicis proprietatibus, de Unione Personali in Christo distincte spectatur, de Peccato Originis, de Decreto Electionis &c. Primarij & Secundarij hi Articuli dicuntur alias *Fundamentales*, eò quod totius religionis Christianæ sint fundamentum. §. 33.

*12. Qui porro sunt Articuli Non-fundamentales?

Quorum dogmata salvô fidei fundamentô non solum ignorari, verum etiam negari, aut in utramque partem, non tamen pertinaciter, ventilari possunt; v. g. de primo in specie peccato Satanæ, de immortalitate Protoplastorum ante eorum lapsum, de Antichristo, de animæ traduce, vel ejus creatione, &c. §. 34.

13. Undenam omnes isti Articuli fidei discendi docendique?

Non ex vana Traditione humana, neque ex Adparitionibus Angelicis, aut Somnijs, & id genus; sed unice uniceq; ex Sacra Scriptura Canonica quæ est unicum, post Christum, principium basis & fundamentum totius Christianæ Religionis. Super quo etiam omnia Symbola quatuor Oecomenica, nimirum Apostolicum, Nicenum, Chalcedonense & Athanasij, omnesque Libri Symbolici Lutheranorum, nempe Augustana Confessio, ejus Apologia Articuli Smalcaldici, minor & major Catechismus B. Lutheri, Formula Concordiæ & ejus Repetitio, sunt superstructa, Vid. B. Auct. Proleg. Cap. II. §. 40.

*14. Quænam est Definitio Theologiæ Revelatæ apud B. Auctorem?

Theologia est Scientia Practica, docens, confirmans, ac defendens ex divina revelatione ea omnia, quæ homini peccatori, cum ad fidem in Christum cognitu, tum ad vitæ sanctimoniam factu sunt necessaria, consequendæ â DEO & in DEO beatitudinis æternæ causâ. §. 38.

PROLEGOMENORUM
CAP. II.
DE SCRIPTURA SACRA.
QVÆSTIO I.
Quid est Scriptura Sacra?

EST verbum DEI, DEO inspirante per Prophetas & alios Sanctos viros ebræo; per Evangelistas vero & Apostolos, græcô idiomate consignatum, hominem peccatorem de omnibus, quæ creditu factuque sunt necessaria, instruens, ut quilibet id cum adtentione & pietate legens, vel audiens, fidem in Christum consequatur, cum DEO propter peccata irato reconcilietur, sancte vivat, ac tandem vitam æternam habeat. Vid. B. Auct. §. 48.

2. Quid per verbum â DEO inspiratum intelligis?

Intelligo complexum illum, sive volumen librorum, qui non tantum res sacras tractant, & ad ædificationem vitæque sanctimoniam tendunt; verum

rum etiam peculiari operatione Spiritûs Sancti sunt consignati, quos vulgò BIBLIA adpellamus §. 2.

3. Quis est Scripturæ Sacræ Auctor?

DEUS Trinunus, unus scilicet in Essentia, trinus autem in Personis, nempe Pater, Filius & Spiritus Sanctus; per adtributionem vero & adpropriationem Spiritus Sanctus. §. 3.

4. Quibus dictis Scripturæ Sacræ canonicis probabis, Scripturam Sacram esse à DEO?

Paulus Apostolus eam expressis verbis adpellat *eloquia DEI, Judæis concredita*, Rom. III, 2.

2. Tim. III. 16. *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia.*

2. Petr. I, 21. *Non voluntate humana adlata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti DEI homines.* §. eod.

* 5. Ergone Scriptura Sacra est θεόπνευστος seu à DEO inspirata?

Omnino: Hocipsum enim probat Scripturæ Sacræ (1.) *Auctoritas*, seu manifesta dignitas & αὐθεντία, quæ movet tam intellectum humanum ad adsensum dictis Scripturæ, quam voluntatem ad obsequium mandatis divinis præbendum. Movet autem internâ suâ virtute à Spiritu Sancto sibi inseparabiter communicata. §. 12 - 17.

(2.) *Styli simplicitas*, verborum scilicet lenocinijs

nijs & fuco eloquentiæ secularis carens. 1. Cor. II. 12. & 13. *Nos non accepimus Spiritum hujus mundi, sed Spiritum qui ex DEO est, ut sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis. Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis; sed in doctrinæ Spiritûs, spiritualibus spiritualia comparantes.* 19.

(3.) *Veracitas*: in omnibus namque ejus dictis & dogmatibus ab omni errore pura veritas continetur, & in nullo libro Veteris & Novi Testamenti sibi proprie contradicendo obloquitur. §.20.

(4.) *Perfecta Sanctitas*, exclusis omnibus, quæ inhonesta & indecora sunt. §. eod.

(5.) *Sufficientia* eorum, quæ tanquam credenda aut agenda tendentibus ad salutem proponuntur §. eod,

[6] *Antiquitas*. Nam Scriptura Sacra non duntaxat ratione doctrinæ fidei morumque cum ipsa mundi origine cœpit, ac paulo post ipsis hominibus primis innotuit; sed & ratione vocum Scriptarum, libros omnium Gentilium ætate antecedit. §.24.

(7.) *Miracula*, quorum Scriptura Sacra penitus scatet, v.g. Mosis & Aaron, Eliæ & Elisæi, Christi & Apostolorum ejus, passim. DEUS vero miraculose operando non adsistit seductoribus, ad fallendos hominum animos, seu ut persvadeantur, eos esse divinitus ad docendum missos, & ideo audiendos; sed adsistit DEUS tantum illis, quos Ipse, tanquam vera & salutaria proposituros, revera misit. Conf. Exod 3 & 4. §.26.

(8.) *Testimonium Ecclesiæ*, per totum licet terrarum

rum orbem diffusæ, inde usque tamen ab Apostolorum temporibus, de divina Scripturarum origine, concorditer & plane consentiens. §. 27,

(9.) *Testimonium Martyrum* utriusque sexûs innumerorum, qui potius innocuum sangvinem suum & vitam horribilibus profundi cruciatibus, quam divinam Scripturæ Sacræ originem pernegare maluerunt. §. 28.

(10.) *Testimonium populorum* gentilium: qui licet Sacram Scripturam forte non amplectantur; tamen ei minimum propter populi DEI mirandas res gestas, per imprudentiam quasi suam, divinam originem concedunt. §. 30.

(11.) *Propagatio felix* subitaque doctrinæ Christianæ per totum terrarum orbem diffusæ, nec non *admiranda* Scripturæ Sacræ inter tot persecutiones tyrannicas *conservatio*. §. 29.

(12.) *Admiranda exempla* vindictæ divinæ adversus persecutores & violatores hujus doctrinæ. §. 31.

(13.) Denique argumentis *fidem humanam* conciliantibus succenturiatur, *fidem divinam* concilians, & Θεοπνευστίαν seu *divinam inspirationem* Scripturæ Sacræ probans, *interna* Scripturæ Sacræ, cum adtentione piaque meditatione, & exclusis cogitationibus carnalibus falsaque præconcepta opinione, lectæ vel auditæ *efficacia*, in cordibus humanis, quâ hominum animos ad adsentiendum de divina origine sua inclinat penitusque convincit: id quod nulla unquam profanorum scriptorum doctrina præstare valet. §. 32.

* 6. Estne Scriptura Sacra tam *efficax*, cum aliás mortua litera dicatur?

Litera, pro Lege saltem morali sumta 2.Cor.III. 6. dicitur, non mortua, sed occidens litera; & quidem ratione sui effectus, quando nimirum peccatum arguit & maledictionem denunciat: atque sic occidit interdum hominem tantum animalem, spiritualem vero vivificat. Quod autem Scriptura Sacra in & penes se indissolubiliter unitam vim & efficaciam supernaturalem ac vere divinam, ad producendos supernaturales effectus, scilicet mentes hominum convertendas, regenerandas & renovandas, ab ipso DEO sibi concessam habeat, id Paulus diserte probat, ajens: *Evangelium Christi*, pro tota Scriptura Sacra sumtum *esse potentiam DEI ad salutem omni credenti* Rom. I. 16. Nec minus evidenter scribit ad Ebræos, Cap. IV. 12. *Sermo* (Verbum) *DEI est vivus & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum & discernit cogitationes & conceptus cordis.*

Joh. VI, 63. Christus ait hoc modo: *Verba mea sunt spiritus & vita.*

Rom. X, 17. *Fides est ex auditu*, (verbi DEI) *auditus autem per verbum DEI.*

1. Cor. I, 21. *Postquam in DEI sapientia mundus non cognovit DEUM per istam sapientiam, placuit DEO per stultitiam prædicationis servare credentes.* §. 39.

7. Quo-

7. Quomodo Scriptura Sacra està DEO inspirata?

DEUS Spiritus Sanctus,& voces,& phrases, & denique res per easdem significatas Prophetis & Sanctis DEI hominibus in Veteri Testamento Ebræô ; Apostolis vero & Evangelistis in Novo Testamento Græco idiomate supernaturaliter communicans,eorum intellectui inspiravit ac voluntatem eorum ad scribendum juxta sanctam voluntatem suam excitavit,& Stylum pro diversitate ingeniorum, morum & adfectuum scriptorum, juxta characterem dicendi consvetum, direxit, quemadmodum fere Amanuensibus voces phrases & res dictari solent. § 6.7.8.

8. Nonne Sacri Scriptores errores in scribendo commisere?

Equidem alias, & extra hanc scriptionem sacram, à peccato non penitus erant immunes, adeoque oblivioni, erroribusque varijs subjecti; attamen configuando sacra dogmata, et acti à Spiritu Sancto,cui tunc unice subjecti fuere,nec erant errandi periculo expositi, nec etiam memoriæ lapsum, aut alium quemcunque errorem admittere,nec denique fallere velle valebant. § 6.

9. Quare vero DEUS Scripturam Sacram literis mandari voluit?

Ut,posteaquam genus humanum est multiplicatum,spatium vitæ humanæ adbreviatum, lolium variarum corruptelarum in totum mundum per Satanam

Satanam disseminatum, & denique ingenium informandorum hominum infirmitate memoriæ enervatum; ut, inquam, homines eo facilius ac felicius ex literis scriptis, de omnibus æternam salutem concernentibus doceri discereque possint. §. 5.

* 10. Num DEUS olim etiam per Scripturas suum docuit populum?

Non: Olim enim DEUS multis ac varijs modis usus est ad ea, quæ ad hominum salutem pertinent revelanda, juxta Ebr. I. 1. *Multis* enim *vicibus multisque modis olim DEUS loquutus est Patribus in Prophetis, ultimis diebus hisce loquutus est nobis in filio.* Nimirum olim loquutus est DEUS (1.) *Adloquio* vocis articulatæ, in aëre præter naturæ ordinem efformatæ, v. g. ad *Patriarchas*, Gen. XII, 1. seqq. XIIX, 2. XIX, 17. XXII, 12. *Mosen*, Exod. III, 2. Num. XII, 6. & sæpius. *Populum* Israëliticum, Exod. XIX, 10. seqq. (2.) *Somniis* sive speciebus phantasiæ dormientium objectis, Gen. XXIIX, 12. Dan. II, 19. seqq. (3.) *Visionibus* ecstaticis vigilantium, Ezech. I, 4. Dan. X, 15. Act x. 10. deniq; (4.) immediata *illuminatione* intellectûs extra somnum & visionem, 2. Tim. III, 16. 2. Pet. I, 21. Posteaquam vero Scriptura Sacra in literas est redacta, totum Religionis nostræ fundamentum in ea esse fundatum firmissime credimus, ac revelationes & illuminationes alias omnes, dogmataque Scripturæ Sacræ contraria, omnia penitus rejicimus, juxta ductum Pauli, Gal. I, 8. & 2. Joh. v, 10.

* 11. Estne

*11. Estne Scriptura Sacra penitus in Veteri Testamento, ebraeô, in Novo Testamento graecô idiomate consignata?

Nequaquam: In Veteri quippe Testamento intercurrunt quaedam *Chaldaica*, v. g. apud Jerem. X, 11, Dan. II. item à Cap. IV. 1. usque ad c. IIX. Esram IV, 8. usque ad VI, & denique in c. VII. 11-27. Sic quoque in Novo Testamento dantur nonnullae voces Chaldaeo-Syriacae haud raro obviae: utrumque tamen istud DEUS fecit ex singulari sua συγκαταβάσει & adcommodando se populi sui fatis. §. 7.

*12. Sic igitur adscribendi erunt Scripturae Sacrae Barbarismi & Solœcismi?

Nequaquam: Licet quidem Graeca illa dictio sit interdum ἑλληνιστική seu ebraismis permixta; ideo tamen ei Solœcismi Barbarismive non sunt tribuendi. Vitia namque in scripturam Sacram, propter Spiritûs Sancti, tanquam Auctoris Scripturae hujus primarij, sanctissimam perfectionem, cadere possunt nulla. §. eod.

*13. Sed Matthaei Evangelium, & Pauli Epistola ad Ebraeos, nonne Ebraicâ lingva, tanquam ab utroque viro Ebraeo, sunt conscripta?

Ita quidem non pauci Patrum primitivae Ecclesiae sensere; quia vero Ebraeus textus ille, praesertim

tim Matthæi, græco disconvenit, & viri isti utriusque lingvæ, Ebrææ scilicet & Græcæ periti fuere, lingva etiam Græca tum imprimis floruerit, ideo Textus Græcus utriusque libri hujus, tanquam Ἀψόπνευστος haud immerito habetur. §. eod.

14. Cui autem Scriptura Sacra est à DEO data & legenda ?

In *genere* quidem omnibus hominibus, citra Statûs Ecclesiastici & secularis discrimen, tanquam scripturis erudiendis, non solum aliorum, sed etiam sua opera. *Speciatim* vero & inprimis illis est legenda sedulò, qui quondam alijs hanc doctrinam proposituri sunt, aut jam etiam proponunt. §. 10.

15. Ergone non solis *Clericis*, sed & *Laicis*, erit legenda Scriptura Sacra ?

Ita sane: nam (1.) lectio Scripturæ Sacræ omnibus promiscue hominibus à DEO concessa, commendata & demandata est, Devt. VI, 6. 7. *Verba ista*, inquit Moses, *quæ ego præcipio tibi, acute ingeres filiis tuis. ac loqueris de eis.* & c. XXXI. 11. 12. *Convenientibus cunctis ex Israël, leges verba Legis hujus coram omni Israël, audientibus eis: Et in unum omni populo congregato, tam viris, quam mulieribus, parvulis & advenis, qui sunt intra portas tuas, ut audientes discant, & timeant Dominum DEUM vestrum, & custodiant impleantque omnes sermones legis hujus*, inquit rursum Moses.

Josuæ I, 8. (dixit Dominus ad Josuam) *Non recedat*

recedat Volumen Legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia, qua scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam & intelliges eam.

Psalm. I. 1. 2. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit; sed in Lege Domini voluntas ejus, & in Lege Ejus meditatur die ac nocte.*

Luc XVI, 29. (Abraham ait ad Epulonem de ejus quinque fratribus) *Habent Mosen, & Prophetas, audiant eos.*

Joh. V, 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testantur de me.*

Colos. III, 16. *Verbum Domini habitet in vobis abundanter in omni sapientia.*

(2.) Paulus adjurat Thessalonicenses, ut *sua Epistola*, quæ etiam est pars Scripturæ Sacræ, *omnibus legi* concedatur, 1. Thess. V, 27. Conf. Rom. I, 7. 1. Cor. I, 2. Gal. I, 2. 1. Pet. I. 1. 1. Joh. I, 3. ex quibus manifestò constat, Scripturam Sacram etiam â Laicis legendam esse.

(3.) Movere denique singulos debet *Laus Berrhöensium*, quòd *cum omni alacritate quotidie Scripturas examinarint*, an hæc, quæ Paulus & Sila in eorum Synagoga docuere, ita se habeant? Act. XXII, 10. 11. item *Laus Timothei*, quòd *â puero literas sacras didicerit*, 2. Tim. III, 15. §. 10.

16. Estne

* 16. Estne vero Scriptura Sacra ita *clara & perspicua*, ut ab omnibus, adeoque & Laicis intelligi queat?

Omnino: Scriptura Sacra namque in ijs, quæ creditu & factu homini cuique ad salutem æternam tendenti sunt necessaria, ita claris & usu loquendi receptis tam vocibus, quam phrasibus est conscripta, ut quilibet homo, lingvæ, in qua ea legitur, gnarus, & vel mediocri judicio pollens, ac verbis adtendens, verum verborum sensum, quoad ea, quæ sibi scitu sunt necessaria, adsequi, & capita ipsa doctrinæ Christianæ intelligere possit. Quæ vero in Onomasticis, Chronologicis, Genealogicis, Vaticinijs ante complementum &c. Obscuritatis multum habent, illa salvâ fide â Laicis ignorari possunt: quamvis & hæc interdum alibi in Scriptura clarius explicentur. §. 41.

17. Unde probas Scripturam Sacram esse tam claram & *perspicuam*, ut & à Laicis legi atque intelligi queat?

Quia DEUS ad populum Israël, & ad omnes homines Devt. XXX, 11. sic ait: *Verbum hoc, quod loquor tibi, prope est in ore ac corde tuo*, id est, est facile intellectu.

Psalm. XIX, 8.9. *Lex Jehovæ*, seu Scriptura Sacra, dicitur, *illuminare oculos & simplicibus præstare sapientiam.*

2. Pet. I, 19. *Habemus firmissimum illum sermonem Propheticum, cui quod adtenditis, benefacitis,*

factis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usque dum diex illuxerit, & lucifer exoritur in cordibus vestris. §. eod.

Psalm. CXIX, 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis.*

2. Cor. IV, 3. *Quod si opertum est Evangelium nostrum, in his, qui pereunt, est opertum, in quibus DEUS hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelij gloriæ Christi, qui est imago DEI.*

18. Quare autem Scriptura Sacra hominibus data & legenda est?

(1.) Ut *ex auditu* & lectione verbi DEI *fidem* in Christum sibi omnes *comparent*, Rom. X, 17.

(2.) *Hæc scripta sunt, ut* homines *credant Jesum esse Christum illum Filium DEI, & ut credentes vitam habeant per nomen ejus.* Joh. XX, v. ult.

(3.) Quia *tota Scriptura divinitus inspirata, est utilis ad doctionam, ad redargutionem, ad correctionem & ad disciplinam in justitia; ita ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum perfecte instructus*, 2. Tim. III, 16. 17.

19. Num igitur omnia doctrinæ Christianæ Capita & Articuli fidei in Scriptura Sacra continentur, estque sic *perfecta?*

Cur non? Est enim ita sufficiens & perfecta, ut homines omnes, de omnibus, nullô penitus excepto, fidei & morum dogmate, ad æternam sa-

lutem creditu factuque necessario, plenè & perfectè instruere valeat. §. 20. 23.

20. Quibus vero dictis evinces Scripturam Sacram esse *Perfectam*? Devt. IV, 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, custodite mandata Domini DEI vestri, quæ ego præcipio vobis*, Cap. V, 32. *Custodite, & facite, quæ præcepit Dominus DEUS vobis: non declinabitis neque ad dextram, neque ad sinistram.* Cap. XII, 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas ex eo.*

Item cap. XXX, 5. *Omnis sermo DEI ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se:* (nempe DEUM trinunum) *Ne addas quidquam verbis illius & arguaris, inveniarisque mendax.* Conf. Prov. XXX, 6. item 2. Tim. III, 16. 17. *Tota Scriptura Sacra*, &c.

Galat. I, 8. *Etiamsi nos* (Apostoli) *aut Angelus è cœlo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema esto.* Conf. v. 9.

2. Joh. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec Ave ei dicite.*

Apoc. XXII, 19. *Contestor omni audienti verba Prophetiæ Libri hujus. Si quis adposuerit ad hæc, adponet DEUS super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet DEUS partem ejus de libro vitæ & de civitate Sancta.*

21. Atqui

*21. Atqui vero nonnulli libri in Bibliis citati non amplius exstant?

Sane de libris illis, quos nonnulli deperditos dicunt, observandum est, aliquos revera non periisse; verum adhuc, sub alijs quidem titulis exstare: prout verbi gratia, verba *Nathan & Gad* 1. Paral. XXIX. 29. citata sub titulo librorum Samuelis; item Prophetiam *Ahiæ* Silonitæ & *Jeddonis*, 2. Paral. IX, 29. denique *visiones Hozai*, 2 Paral. XXXIII, 19. sub nomine librorum Regum superesse probabile est. Quodsi vero aliqui à viris sanctis scripti libri revera perierunt; ij fuere *vel* non ex divina inspiratione, sed studio tantum humano consignati; *vel* historici potius, quam doctrinales; *vel* denique non alia habuere dogmata, quam quæ in existentibus libris prostant. §. 40.

*22. Ast quid de *Traditionibus* humanis tam non-scriptis, quam quibus vis alijs statuis?

Statuo Traditiones non-scriptas, quas vocant, (seu dogmata & ritus in scriptura sacra non expressa, sed tantum ab Apostolis viva voce Ecclesiæ tradita & commendata;) scripturæ sacræ à latere non esse jungendas, multominus pari pietatis affectu, cum scriptura divina venerandas. Etenim dogmata fidei & morum omnia, nullo excepto, in scriptnris continentur, aliqua quidem αὐτολεξεὶ sive κατὰ ῥητὸν & secundum literam, explicite totidemque verbis; aliqua κατὰ διάνοιαν, virtualiter & implicite seu secun-

dum sensum, ex quo certa doctrina facile colligi, cognosci & concludi potest. § eod.

* 23. Num Scriptura Sacra Controversias omnes de Articulis fidei decidere, sicque earum *Judex* esse potest?

Equidem Concilia, Doctores, alijque sapientes, controversiarum Judices esse possunt; sed tantum *Ministeriales*, secundum Scripturam Sacram omnia examinantes. Quia vero omnes mortales varijs subjecti sunt erroribus; idcirco primarius, invisibilis & *auctoritativus Judex*, tanquam infallibilis, est Spiritus sanctus, per Scripturas sacras loquens. Quamvis & sacra Scriptura dicatur controversiarum fidei Judex; sed solum improprie, quando scilicet scriptura sumitur pro norma & ratione judicandi, juxta quam sententia sit ferenda: prout alias etiam non insolens est, legem, pro judice accipi. Quapropter in normanda fidei & morum doctrina non opus est Judice peculiari & visibili secundario, qui pro auctoritate sua sententiam, plerumque erroneam ferat §. 47.

* 24. Verum quibus fundamentis Scripturæ Sacræ probabis, Scripturam Sacram & cum ea Spiritum Sanctum esse Controversiarum Judicem?

Esa. VIII. 20. *Ad Legem & ad Testimonium; quodsi non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis lux matutina.*

Galat.

Galat. VI, 16. *Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia.*

1. Joh. XII, 48. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum: Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.*

Ebr. IV. 12. *Vivus est Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac Spiritûs, compagum quoque ac medullarum, & dijudicat cogitationes & conceptus cordis.* Conf. Psalm. CXIX. 105. Gal. I, 8. §. 47.

* 25. Quid autem ad recte intelligendam & explicandam Scripturam Sacram requiritur?

Præter devotam *precationem*, *meditationem* & *tentationem* (non excludendo, ubi fieri potest, summe necessariam Orientalium) lingvarum & sobriæ Philosophiæ Scientiarum, peritiam) equiritur, ut genuinæ Regulæ Exegeticæ probe observentur ac adhibeantur. Et quia sensus Scripturæ Sacræ alius est, *Literalis*, (& quidem unius loci non nisi unus) qui secundum literas & voces vel *proprie*, *vel tropice* eruitur: unde etiam in Proprium & Figuratum sensum dividitur; alius *Mysticus* seu *Spiritualis*, qui non significatur proxime per ipsas voces, sed per res verbis illis significatas, uti fit v. g. in typis, umbris, figuris & signis, vel Symbolis. Proinde quoad *sensum literalem* Leges sunt observandæ seqq.

I. *Vocum, phrasiumque natura & constructio*,

juxta consvetudinem lingvæ sanctæ, diligenter sunt considerandæ.

II. *Ex Antecedentibus & Consequentibus, ex occasione, scopo, materia & aliis causis, intentio loquentis & scribentis est investiganda.* Ut autem *Mysteria fidei* in scripturis sacris tradita recte agnoscantur vel *Sensus Mystici, Allegorici* & id genus *impropriij* alij recte eruantur, observandum est III. quod *in propria & usitata verborum, phraseumque significatione, tamdiu sit persistendum, quamdiu manifesta circumstantia textûs explicandi, aut explicandæ materiæ conditio, aliave maxime urgens necessitas ad impropriam significationem descendere non cogat.* §. 43. 44. 45.

26. Scire tandem gestio quænam est Scripturæ Sacræ lectæ auditæque utilitas?

Utilitas sane, quæ ex sedula lectione, seria piaque auscultatione & meditatione Scripturæ Sacræ promanat, est immensa, infinita ac ineffabilis, quæ ex dictis patescit sequentibus:

Psalm. CXIX, 50. *Hæc est consolatio mea in afflictione mea, quia eloquium tuum vivificavit me.*

Ibid. v. 92. *Nisi Lex tua* (Domine) *delectatio mea esset, tunc periissem in adflictione mea.*

Jerem. XV, 16. *Inventi sunt Sermones tui* (Domini) *& comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium & lætitiam cordis mei.*

Joh. VI, 68. (Petrus ait ad Christum) *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.*

Joh.

Joh. VIII, 51. (Christus ait) *Amen, amen, dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.*

Rom. XV, 4. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.*

* 27. Quænam est Scriptutæ S. Definitio apud B. Auctorem ?

Scriptura S. definiri potest, quod sit scriptura, DEO inspirante per Prophetas & Apostolos, partim Ebræo, partim Græco idiomate consignata, hominem peccatorem, de omnibus, quæ creditu ac factu necessaria sunt, instruens, ut fidem in Christum consequatur, DEOque reconciliatus, sancte vivat, ac tandem vitam æternam, DEI beneficio, consequatur. §. 48.

THEOLOGIÆ POSITIVÆ

PARTIS I.

CAP. I.

DE DEO.

QUÆSTIO (1.)

Quid nomine DEI intelligendum ?

Intelligimus vulgo Ens, & Spiritum increatum omnium entium & Spiritum excellentissimum, quô nihil melius esse vel cogitari potest : qui à se ipso est, & omnes creaturæ per ipsum solum creatæ conservantur & gubernantur. In sacra Scriptura dicitur Elohim, Jehova, Adonai, DEUS Zebaoth,

baoth, &c. DEUS igitur est Ens spirituale à se in Patre, Filio & Spiritu Sancto subsistens; vel brevius: DEUS est Spiritus independens. Vid. Auct. §. 1. 2. 6. & 46.

2, Unde probas esse DEUM?

1. Ex intuitu hujus Universi: DEUS enim *omnibus hominibus se manifestum fecit: cum ipsius invisibilia, jam inde à condito mundo, ex iis quæ facti, mente perpensa pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas*, inquit Paulus Rom. I. 19. 20. Esa. XL. 26. *Levate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creavit hæc? qui educit in numero militiam eorum & omnes ex nomine vocat præ multitudine fortitudinis, & roboris virtutis quæ ejus, neque unum deficit.*

2. Ex testimonio Conscientiæ humanæ & cogitationibus sese mutuò adcusantibus, quod scilicet sit aliquod Numen & DEUS qui honesta à turpibus discernit: *illaque* bonis variis rependit, *hæc* vero vindicat. Etenim Paulus Rom. II. 14. 15. diserte ait: *Gentes, quæ Legem non habent quum naturâ, quæ Legis sunt, faciant, isti Legem non habentes, sibi ipsis sunt Lex: Ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis unâ testimonium reddente ipsorum cogitationibus sese mutuo adcusantibus, aut etiam defendentibus.*

3. Ex consensu Populorum, cum Gentilium, tum Christianorum: nulla enim est gens tam barbara, quæ non credat esse DEUM. §. 4.

4 Quamvis ex *libro Naturæ* DEUM dari evidenter constet; longe tamen evidentius ac maxime

me perspicue constat id, & probari potest, ex Libro Scripturæ.

3. Quomodo DEUS juxta Scripturam Sacram alias describitur?

DEUS est Spiritus, seu essentia Spiritualis, intelligens, æterna, verax, bonas pura, justa, misericors, liberrima immensæ potentiæ & sapientiæ, Pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filus imago Patris coærerna, & Spiritus Sanctus, procedens à Patre & Filio, sicut patefacta est divinitas certo verbo & testimoniis divinis, quod Pater æternus cum Filio & Spiritu Sancto condiderit & conservet cœlum & terram & omnes creaturas quoad conservationem & colligat sibi in genere humano Ecclesiam propter Filium & per eum, & sit Judex justorum & injustorum. Philipp. Melancht. in Exam.

*4. Quomodo hæc, & id genus, Adtributa DEI dividuntur?

Attributa, seu perfectiones & essentialia DEI epitheta alia sunt Negativa; alia Positiva. *Negativa* dicuntur, quod suam proprietatem omnibus creaturis denegent, verbi causa: *Unitas, simplicitas, Immutabilitas infinitas, Immensitas, Æternitas.* Qvæ omnia, vel vi vocum, vel vi significationis, negationem quandam aut remotionem imperfectionis alicujus ex his, quæ in creaturis occurrunt, important.

Positiva Adtributa dicuntur, quæ cum respe- spectu ad perfectiones, quas in creaturis deprehendimus

dimus & per modum illarum, licet in eminentiore gradu, concipiuntur, seu, quæ quidem & hominibus competere possunt, non tamen in tanto gradu & excellentia. Talia sunt sequentia: *Vita, scientia, sanctitas, Justitia, veracitas, Potentia, Bonitas, Perfectio.* §. 7.

5. Ex quibus scripturæ locis, hæc omnia DEI adtributa, in eo dari probabis? Probatur *Unitas* Essentiæ DEI indivisæ ex

Deut. VI, 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est.*

1. Cor. VIII. 4. *Non est* DEUS *nisi unus.*

Ephes. IV. 6. *Unus* DEUS *& Pater omnium, qui est super omnes, & per omnes & in omnibus vobis* 1. Tim. II 5. *Unus est* DEUS, *unus & Mediator* DEI *& hominum, homo Christus Jesus.* §. 8.

(2.) *simplicitas*, per quam DEUS ab omni compositione vera & reali liber est, ex Exod. III, 14. *Dixit Dominus ad Mosen: Ego sum, qui sum: Ait sic dices Filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.* Quod autem Scriptura Sacra nonnunquam membra humana, atque alia, quæ in creaturis, præsertim hominibus occurrunt, & compositionem in illis arguunt, tribuit; id fit per Metaphoram, quam ἀνθρωποπάθειαν aut συγκατάβασιν vocant, quæque θεοπρεπῶς exponi debet. §. 9.

(3.) *Immutabilitas*; tum quoad naturam corruptioni vitiisque non subjectam; cum quoad voluntatem & suum propositum infallibile, &c. Rom. I. 23. ubi DEUS dicitur *incorruptilis.*

1. Tim. I. 17. *Regi æterno incorruptili invisibili*

li sapienti DEO sit honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

Cap. VI, 16. DEUS solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem vidit nemo hominum nec videre potest.

Jac. I. 17. *Omnis donatio bona & omne donum perfectum, est superne descendens à Patre luminum apud quem non est transmutatio aut conversionis obumbratio.*

Jerem. XXIII. 24. *Nonne cœlum & terram ego impleo? inquit Dominus.*

Num. XXIII. 19. *Deus non est homo, qui mentiatur, aut filius hominis, quem pœniteat. An ipse dixerit & non faciet? An locutus fuerit & non præstabit illud?*

Prov. XIX. 21. *Multæ cogitationes in corde Viri, voluntas autem Domini permanebit* in æternum.

Malach. III. 6. *Ego Dominus & non mutor.*

* Quod autem in Scripturis *Pœnitentia, motus* localis, descensus aut adscensus, indignatio, ira, & id genus adfectus; DEO nonnunquam tribuantur, id rursum ἀνθρωποπαθῶς & metaphorice est intelligendum, neque ullam in DEO mutationem facit arguitve. §. 10.

(4) *Infinitas, immensitas* & *Æternitas* tum naturæ principio fine que carentis; tum potentiæ & majestatis omnia in Cœlo & in terra replentis probatur ex

Psalm. CXLV. 3. *Magnus est Dominus, & laudandus valde, & magnitudinis ejus non est finis.*

1. Reg.

1. Reg. VIII, 27. *Ergone putandum est, quod vere* DEUS *habitet super terram? si enim cœli & cœli cœlorum Te (*DEUS*) capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi?*

Psalm CII. 26. 27. 28. *Initio tu, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterescent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Jerem. XXIII, 24. *Numquid non cœlum, & terram ego impleo, dicit* Dominus?

Gen. XXI, 23. *Abraham plantavit nemus in Bersabæ & invocavit ibi nomen* DEI *æterni.*

Psalm. XC, 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis à sæculo & usque in sæculum, tu Deus es.*

Esa. XL. 28. *Numquid nescis, aut non audisti,* DEUS *sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, & non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus?*

1. Tim. I. 17. Regi sæculorum immortali, invisibili soli DEO honor & gloria in sæcula sæculorum Amen. §. 11. 12. & 13.

(5.) *Vita DEI*, nuli obnoxia dolori mortive, & à se ipsa sustentata probatur ex:

Genes. XVI. 13. 14. *Agar vocavit nomen Domini qui loquebatur ad eam: tu Deus, vidisti me,* & puteum, ad quem locutus est Angelus Domini cum ea: *Puteum viventis & videntis me*, nominavit.

Ezech. XXXIII, 11. *Vivo ego, dicit Dominus* DEUS

DEUS, nolo mortem impii sed ut convertatur impius á via sua & vivat.

Joh. V. 16. *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* conf. Joh. III, 10. §. 14.

(6.) *Scientia* rerum præteritarum, præsentium & futurarum, tam incertarum, quam certarum, adeoque *Omniscentia* ipsi soli Deo propria, probatur ex:

1. Sam. II. 3. *DEUS est scientiarum Dominus & ipsi præparantur cogitationes.*

1. Reg, VIII, 39. Domine Deus, *Tu exaudies in cælo, in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus: quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.*

Psalm. VII, 10. Ubi DEUS dicitur *scrutari corda & renes.* CXXXIX. 1. seq. *Domine, probasti me, & cognovisti me: Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam: Intellexisti cogitationes meas de longe; semitam meam & funiculum meum investigasti: Et omnes vias meas prævidisti.*

Prov. XV, 3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.*

1. Joh. III, 20. *Si reprehenderit nos cor nostrum; major est Dominus corde nostro, & novit omnia.* §. 15.

(7.) *Sapientia* DEI omnia exquisitissime intimeque pernoscens; maxime quoque salutariter dirigens ac imperscrutabiliter conservans, confirmatur ex Jobi XII. 13. *Apud DEUM est sapientia & fortitudo*

titudo, ipse habet consilium & intelligentiam. c. XXIIX, 20. 23. seqq. *Unde venit sapientia? & quis est locus intelligentiæ? DEUS intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.*

Rom. XI, 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus & imperveſtigabiles viæ ejus!* §. 16.

(8.) *Sanctitas* & *Justitia* DEI, tum naturæ tum omnium Ejus actionum probatur ex:

Levit. XIX, 2. DEUS ait: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus DEUS vester.*

Es. VI, 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Zebaoth, plena est omnis terra gloriâ Ejus.*

1. Pet. I. 15. *Sperate secundum eum, qui vocavit vos Sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis.*

Deut. XXXII, 3. 4. *Date magnificentiam DEO nostro: DEI perfecta sunt opera & omnes viæ ejus judicia: DEUS fidelis & absque ulla iniquitate justus & rectus est.*

Psalm. XCII. 16. *Rectus est Dominus DEUS noster & non est iniquitas in eo.*

Esa. XLV, 21. *Nunquid non ego Dominus, & non est ultra DEUS absque me? DEUS justus & salvans non est præter me.* §. 22.

(9.) *Veracitas* DEI in dicendo & servandis promissis constans, patet ex:

Num. XXIII. 19. *DEUS non est, quasi homo ut mentiatur, nec ut filius, hominis ut mutetur.*

Rom. III. solus *DEUS verax; omnis autem homo mendax.*

Ebr.

Ebr. VI, 18. *Fieri non potest, ut mentitus sit Deus.* §. 23.

(10.) *Potentia* DEI efficax in omni re ullatenus possibili, & contra sanctitatem divinam non pugnante dicitur alias *Omnipotentia*, probaturque, ex:

Genes. XVII. 1. *Ego Dominus Onipotens, ambula coram me, estoque perfectus.*

Job. XLII, 2. *Respondens Job Domino dixit: scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.*

Jerem. XXXII, 17. *Domine DEUS, ecce tu fecisti cœlum & terram in fortitudine tua magna & in brachio tuo extento, non erit tibi difficile omne verbum.*

Matth. XIX, 26. *Apud DEUM omnia sunt possibilia.*

Luc. I, 37. *Apud DEUM non erit ullum Verbum impossibile.*

2. Cor. VI. 18. *Ero vobis pro Patre, & vos eritis mihi pro filiis ac filiabus, dicit Dominus omnipotens.*

Apoc. IV. 8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS ille omnipotens, Erat & Est & venturus est.* §. 24.

(11.) *Bonitas* & *Perfectio* DEI tum naturæ, cum ejus actionum omnium in creaturas omnes sese exerentium, probatur, ex:

Psalmis passim, ubi bonitas & perfecto divina decantantur.

Genes. I, 31. *DEUS vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

Luc. XVIII. 19. *Nemo bonus nisi unus, nempe Deus.*

(2.) Jac.

Matth. V. ult. *Estote perfecti, ut Pater vester qui est in cœlis, perfectus est.* §. 26.

Jac. 17. *Omnis donatio bona & omne donum perfectum, est superne descendens à Patre luminum.*

6. Quid vero de DEO tenendum, quoad divinas ejus Personas?

Quod ad Personas divinas adtinet, simplicissime tenendum est, quod Essentia omnesque perfectiones divinæ, (quas alias Adtributa vocant) sine divisione aut multiplicatione communes sint his tribus distinctis, quas Scriptura vocat *Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.* §. 27.

7. Quibus dictis probabis, DEUM esse Essentiâ Unum?

Deut. IV, 35. *Ipse DEUS est & non est alius præter eum.*

Deut. VI. 4. *Audi Israël, Dominus DEUS noster DEUS unus est.*

Esa. XLIV. 6. *Hæc dicit Dominus Rex Israël: Ego primus & ego novissimus, & absque me non est DEUS.* Et v. 8. *Numquid est DEUS, præter me?*

Marc. XII, 32. *Unus est DEUS, & non est alius præter eum.*

1. Cor. VIII. 4. 5. 6. *Nullus est DEUS alius, nisi unus: Nam etiamsi sint qui dicantur dii, & in cœlo & terra (sicut sunt dii multi & Domini multi) nobis tamen unus est DEUS Pater ille, à quo omnia & nos in ipso, & unus Dominus noster*

Jesus

Jesu Christus, per quem omnia & nos per ipsum.

Ephes. IV, 6. *Unus DEUS & Pater omnium, qui est super omnes & per omnes & in omnibus vobis.*

8. Ast DEUM esse in Personis trinum, immotis Scripturæ testimonijs probes velim?

2. Sam. XXIII, 1.2. *dixit vir certificatus de Messia DEI Jacob, egregius Psaltes Israël: Spiritus Domini locutus est per me.*

Psalm. XXXIII, 6. Verbo Domini cœli facti sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.

Esa. VI, 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS exercituum, & plena est omnis terra gloriâ ejus.*

Matth. III, 16. 17. *Baptizatus Jesus confestim adscendit ex aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum* DEI *descendentem, sicut columbam & venientem super ipsum. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo adquiesco.*

Matth. XXVIII, 19. *Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.*

1 Joh. V, 7. *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum* (id est Christus) *& Spiritus Sanctus.* §. cod.

9. Quomodo vero DEUS essentiâ unus, in Personis autem trinus esse potest?

Pater quidem à Filio, (nempe generans à genito) Filius à Patre (scilicet genitus à generante) & Spiritus Sanctus (per processionem suam à Patre & Filio) ab utroque realiter differunt, ut revera alius sit Pater, alius Filius, & alius Spiritus Sanctus, quoad personas, non vero essentiam, quæ omnibus una. Interim tamen non solus Pater, sed etiam Filius, & Spiritus Sanctus est verus & æternus DEus, & quidem essentia non tres, sed unus. Adeoque unus est DEus, essentiâ, unus naturâ, unus numero; sed idem DEUS essentiâ, naturâ & numerô unus, Trinus est in personis. §. 28. 29. 30.

10. Quibus dictis evinces, tres divinitatis Personas, esse invicem realiter distinctas?

Præter adlegata jam dicta, in primis de Baptismo Christi, baptismique institutione seqq.

Psalm. II, 7. *Dominus dixit ad me* (id est Christum) *Filius meus es tu; ego hodie genui te.*

Joh V, 32. 37. Christus ait: *Alius est, qui testatur de me, & scio firmum esse testimonium, quod testatur de me. Pater, qui misit me, ipse testatus est de me.*

c. XIV, 26. *Advocatus ille Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, &c. §. 28,

c. XV, 26. *Cum venerit Advocatus ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis, qui*

qui â Patre procedit, ille testabitur de me. Conf. Joh I, 14. 18. c. III, 16. X, 36.

II. Quid autem est DEUS Pater?

Est prima persona divinitatis, non genita, nec procedens, sed ab æterno ex se ipso gignens Filium suum, & cum Filio ab æterno spirans Spiritum Sanctum. §. 43. Seu: Pater est prima persona divinitatis, non genita, neque procedens; sed quæ ab æterno genuit Filium, imaginem sui, creans, sustentans, conservans & gubernans universa, visibilia, Angelos & homines cum Filio & Spiritu Sancto, mittens Filium Redemtorem, & Spiritum Sanctum Sanctificatorem, ut docet B. Hutterus ex B. Chemn. P. I. L. C.

* Quod Is, quem Scriptura sacra dicit *Patrem* Domini nostri JEsu Christi, sit verus & summus DEus, id ab omnibus, qui scripturam adcipiunt, conceditur. §. 29.

12. Quid est DEUS Filius?

Est secunda persona divinitatis, ab æterno a Patre genita, à cujus, & Patris, persona procedit ab æterno Spiritus Sanctus. §. 44. Seu: Filius est secunda Persona divinitatis, non creata ex nihilo, sed ab æterno genita â Patre, imago Patris & splendor gloriæ ejus, per quem Pater creavit, sustentat, conservat & gubernat universa, visibilia & invisibilia, cœlum & terram, Angelos & homines, in Spiritu Sancto, missa à Patre in mundum, ut per adsumtam humanam naturam opus Redemtionis perficeret. Conf. B. Hutter. l. c.

(NB. Divinitas Filij probabitur in CAP. de Persona Christi.)

13. Quid est Spiritus Sanctus?

Est tertia Persona divinitatis, non genita, sed procedens, ab æterno à Patre & Filio. §. 45. * Seu: Spiritus Sanctus est tertia persona divinitatis, non facta, nec creata, nec genita, sed à Patre & Filio ab æterno procedens, in qua Patre per Filium creavit universa, visibilia & invisibilia, Angelos & homines, creataque sustentat, conservat ac gubernat: missa à Patre per Filium visibili specie super Apostolos, quæque hodie mittitur inviſibiliter, à Patre per Filium in corda credentium, ut ea sanctificet, per verbum & sacramenta, ut rursum Hutt. ex Chemn. tradit.

14. Unde probas Spiritum Sanctum esse verum & æternum DEUM?

(1.) *Ex dictis* Scripturæ, quibus expresse vocatur Jehova DEUS, v. g.

2. Sam. XXIII, 2. 3. *Dixit David Filius Isai: Spiritus Domini* (Jehovæ) *locutus est pro me, & sermo ejus per linguam meam. Dixit DEUS Israël mihi, locutus est fortis Israël, Dominator hominum, justus Dominator in timore Dei.*

Esa. LXIII. 10. Israëlitæ *ipsi ad iracundiam provocaverunt & adflixerunt Spiritum Sanctum DEI: & conversus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos.*

Act. V, 3 4. Dixit Petrus ad Ananiam: *Cur Satanas*

nas implevit cor tuum, ut mentireris Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed DEO.

1. Cor. III, 16. *An nescitis vos esse templum DEI, & Spiritum DEI habitare in vobis?*

(2.) *Ex collatione* dictorum Scripturæ Veteris & Novi Testamenti, quod scilicet Is, qui locutus est ad Esaiam c. VI, 9. & verus ac summus DEUS ab æterno dictus est, Is, inquam, ab Evangelista Luca dicitur Spiritus Sanctus, Act. XXVIII, 25. Similiter qui locutus est per Davidem, Psalm. XCV, 8. seqq. ubi verus ac summus DEUS dictus est; Is dicitur à Paulo Spiritus Sanctus Ebr. III, 7-11.

(3.) Ex adtributis vere divinis, verbi causa:

α. *Immensitate*, quæ Spiritui Sancto adscribitur Psalm. CXXXIX, 7. 8. *Quò ibo à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextra tua.*

Sap. I, 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

β. *Omniscientiâ*, quæ illi tribuitur Joh. XIV, 26. *Advocatus ille Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.*

1. Cor. II, 10. 11. *Spiritus Dei scrutatur omnia, etiam profunditates Dei. Et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

γ. *Omnipotentiâ* I. Cor. XII, 10. & 11. *Omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus: qui operatur omnia in omnibus.*

δ. *Veritate*, 1. Joh. V, 6. Spiritus est, qui testificatur, quoniam Spiritus veritas est.

ε. *Cultûs adoratione*, beati quippe Angeli, Spiritum quoque Sanctum religiosissima adoratione prosequuntur psallentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus* DEUS *Zebaoth*, Esa. VI, 3.

ζ. *Æternitate* Ebr. X, 14. *Sangvis* Christi, qui per Spiritum æternum seipsum *obtulit inculpatum DEO, emundabit conscientiam vestram ab mortuis operibus, ad colendum DEUM vivum.*

(4.) Divinitas Spiritûs Sancti, demonstratur denique ex *operibus vere divinis*, & quidem rursum:

α. *Creatione*, de qua Jobus memorat cap. XXXIII, 4. inquiens: *Spiritus DEI fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me.*

Psalm. XXXIII, 6. *Spiritu oris DEI factus est omnis exercitus cœlorum.*

β. *Largitione* ac voluntaria distributione donorum, tam ordinariorum, quam extraordinariorum ac valde miraculosorum; 1. Cor. XII, 8. seqq. *Nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij vero sermo cognitionis per eundem Spiritum: Alteri vero fides per eundem Spiritum; alij vero donum sanationum per eundem spiritum; alij*

alij vero operatio virtutum, alij vero Prophetia, alij vero discretio Spirituum; Alij vero genera lingvarum. Sed omnia haec agit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim singulis, sicut vult.

γ. *Gubernatione* Ecclesiæ & constitutione Episcoporum seu Ministrorum Ecclesiæ, Act. xx, 28. *Attendite ad vos ipsos, & totum gregem, in quo vos Spiritus ille Sanctus constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei, quam suo illo proprio sangvine adquisivit.* §. 29.

Huc referri porro meretur Spiritus Sancti vivificatio, sanctificatio & regeneratio &c. de quibus alias.

*15. Quid porro intelligis nomine οὐσίας & ὑποστάσεως seu Essentiæ & Personæ?

Essentia est ipsa natura divina, qualis in se proprie est, est quæque cum suis adtributis proprietatibus & perfectionibus in se simplicissime una & eadem est, atque ita etiam omnium trium personarum nonnisi una & communis. Unde *Patres Concilij Niceni* de Filio DEI statuerunt, Eum esse, & agnosci debere, Patri ὁμοούσιον, id est, coëssentialē & consubstantialem; non autem ὁμοιούσιον, id est, quandam similitudinem duntaxat habentem, ceu Ariani falso docuere.

Persona vero nomine significatur subsistens vivum, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio: dicitur alias suppositum; Græcis ὑφιστάμενον. Hinc tametsi tres tales subsistentias

sistentias seu Personalitates, & tria suppositа in Divinitate adserimus; non tamen tres distinctas divinarum personarum naturas statuimus. §. 32. 33. & 35.

* 16. Quomodo autem & quibus signis divinæ Personæ ab invicem distingvuntur?

Distingvuntur (1.) *Actibus* seu *Operibus* personalibus. *Opera* vero hæc alia dicuntur ad *intra*; alia ad *extra*. *Illa* sunt, quæ intra essentiam divinam terminantur, circa personas divinas tantum versantur, & alicui solùm Personæ propria sunt. v. c. Patris generatio Filij activa, & Spiratio activa Spiritûs Sancti; sic quoque Filij Spiratio activa & missio Spiritus Sancti. Atque hæc dicuntur Opera *divisa*, quia non omnibus tribus personis sunt communia; sed tantum alicui propria.

Hæc, seu Opera ad *extra* sunt, quæ omnibus tribus personis sunt communia & *indivisa*, versanturque circa creaturas, v. g. creatio, conservatio, gubernatio hujus Universi, &c. Quod autem peculiariter soleat DEO Patri adscribi, creatio; Filio, redemtio; & Spiritui Sancto Sanctificatio: id fit saltem per Adpropriationem quandam, & denominationem ab ea persona, quæ in aliquo se potissimum manifestavit opere, factam. §. 36 seqq.

(2.) Distingvuntur Personæ divinæ invicem *Proprietatibus* personalibus, quæ cuique Personæ uni & soli competunt, v. c. Paternitas, DEO Patri, Filiatio, DEO Filio, & Processio seu Spiratio passiva, DEO Spiritui Sancto. §. 36. 41.

(3.) No-

(3.) *Notionibus* Personalibus, quæ nihil sunt aliud, quam certa signa, γνωρίσματα, & notæ dignoscendarum intra suam Essentiam Personarum, v. g. Innascibilitas Patris & Spiritus Sancti ; & Spiratio Activa Patris & Filij. §. 36 42.

PARTIS I.

CAP. II.

DE CREATIONE.

QUÆSTIO I.

Quid significat Vox *Creationis?*

CReationis *propria* vox denotat productionem rei existentis, *vel* penitus ex nihilo, seu nulla penitus re existente ; vel ex aliqua re quidem existente, sed ita inhabili, indisposita & incapaci, ut nulla creatura aliquid ex illa propria sua virtute efficere possit. *Improprie* vero dicuntur etiam Magistratus, Duces, Consules &c. item cor novum hominis, & id genus, creari. vid. B. Auct. §. 2.

2. Quis autem proprie *Creare* potest?

DEUS Trinunus, ex immensâ bonirate proque voluntate sua, omne hoc universum, cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, Gloriæ, Sapientiæ, bonitatis & Potentiæ divinæ testandæ, nec non hominum utilitatis gratiâ, nudo duntaxat imperio & verbo FIAT, vel DIXIT, creavit, adhuc creat creataque semper conservat & gubernat. §. 16. 17. 18. & 23.

3. Unde probas, Creatorem Cœli & terræ esse DEUM Trinunum?

(1.) Qui Genes. I, 1. expresse ponitur numerus pluralis, cum Moses ait: *In principio creavit Elohim* (id est, *DII:*) *cœlum & terram.* v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem Nostram. Item* Genes. III, 22. *Ecce Adam factus est, sicut unus ex Nobis.*

(2.) Quia aperte innuitur etiam numerus ternarius (quamvis ex usu loquendi tres Creatores dici nequeant:) Idum sæpius in capite I. dicitur: dixit DEUS. Nam per Verbum DIXIT, quod in hoc I. capite frequenter occurrit, non significatur λόγος προφορικός, sive verbum evanescens & ore prolatum; sed ἔνδιαθετος & substantiale DEI verbum scilicet secunda persona Trinitatis, teste Johanne cap. I. 1. seqq. qui ait: *In principio erat Verbum & Verbum erat apud* DEUM, *&* DEUS *erat Verbum: Hoc erat in principio apud* DEUM. *Omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil quod factum est.* Tertia (nam de prima non fuit unquam dubitatum à Scripturæ basiatoribus) persona innuitur, quando Genes. I, 2. dicitur: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquis. Hinc & regius Psaltes inquit:*

Psalm XXXIII, 6. Verbô Domini firmati sunt cœli & Spiritu Oris ejus omnis exercitus eorum, conf. Psalm CII. 26. Job. XXXIII, 4.

Huc pertinet etiam Regula D. Augustini: *Opera*

ne divinitatis ad extra sunt indivisa; seu sunt omnibus tribus personis communia.

* Quod autem in symbolo Apostolico & alias opus Creationis soli adscribatur Patri, id inde fit, quia DEUS Pater potissimum in hoc opere se manifestavit, sicque fit per quandam Adpropriationem. §. 16.

4. Ex qua re autem singula in cœlo & in terra sunt creata?

Alia quidem penitus ex nulla re & materia, seu præexistente seu coëxistente, ut Angeli & anima humana; *alia* ex aliqua quidem re, sed non præexistente, adtamen coëxistente, ut cœlum & elementa; *alia* denique ex materia præexistente, nempe ex ipsis corporibus simplicibus, qualia sunt cœlum, & elementa, primum productis, v. g. plantæ ex terra; pisces ex aqua, homo ex terra &c. sunt producta. §. 3. 4.

5. Quot diebus opus Creationis perfectum est? Sex: Nimirum *primordio* produxit DEUS ex nihilo Cœlum & Terram (vulgo dicitur *Chaos*, seu globus aliquis ex cœlo, aqua & terra compactus) itemque Lucem, quæ Diei & noctis vicissitudines constitueret.

Secunda Die divisit Deus aquas elementares, in aquas inferiores & superiores, interposito expanso aëro, ita ut expansum illud adtingeret à superiore parte, aquas subtiliores in nubibus congregatas; â parte inferiore crassiores terræ superficiem ambientes. §. 7.

Tertia die congregatæ sunt aquæ inferiores terram

ram adluentes in certos sinus aut alveos, quos vocavit DEUS *maria*. Reliquæ autem partes terræ apparuerunt aridæ, atque ex illis statim natæ sunt herbæ, arbores frutices &c. * Non temere etiam creditur hoc die hortum Edem, seu Paradisum, itemque lapides & metalla, salia, sulphura & bitumina atque alia Mineralia fuisse creata. §. 8.

Quartâ die DEUS fecit solem, lunam & stellas cæteras, iisque certum motum atque influendi virtutem indidit, ut tempora mensurarent, atque influxu suo diversos in terris effectus producere possent. §. 9.

Quinta die, animantia aquatilia ex aqua, & volatilia ex terra producta sunt. §. 10.

Sextâ die cuncta animalia terrestria, cum quadrupeda, tum reptilia ex terra. Denique Hominem, Adam eodem die creavit DEUS, corpus quidem ejus ex terra, animam vero ex nihilo producens & corpori conjungens. Fæminam autem Evam, postea ex costa Adam dormientis produxit. §. 11. 12. & 13.

6. Unde constat historia creationis Cœli & terræ?

Præter integrum caput primum Geneseos, & partem secundi capitis ejusdem libri constat id quodammodo ex dictis sequentibus.

Psalm. XXXIII, 6. *Per Verbum Jehovæ facti sunt cœli, & per Spiritum oris ejus, omnis exercitus eorum.*

Psalm. CXLVIII, 5. *Ipse* (DEUS) *dixit & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.*

Esa-

Esa. XLV, 12. *Ego Dominus sanctus Israel, feci terram & hominem: ego & manus meæ tetenderunt cœlos, & omni militiæ eorum mandavi.*

Psalm. CXLVI, 6. *DEUS fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt.*

Ebr. XI, 3. *Per fidem intelligimus constructum fuisse mundum verbo DEI, ut* quæ cernimus non sunt ex apparentibus facta. Conf. Jerem. X, 12. Act. IV, 24. XVII. 24. Apoc. IV, 11.

* 7. Quare vero DEUS hominem, præstantissimam mundi creaturam, ultimo omnium creaturarum condidit?

Ut Convivatores, non prius ad cœnam vocantur, quam ad Epulum necessaria præparaverint; & qui Gymnicos ludos & theateales exhibent, antequam spectatores in theatra, vel stadia congregent certatorum & earum rerum, quæ ad aurium, vel oculorum oblectamentum adtinent, copiam parent: Ita totius mundi Princeps, tanquam certaminis aut convivii dator, hominem ad Epulas & spectaculum vocaturus, quicquid ad utrumque pertineat, adparavit, ut in mundum ingressus ille statim inveniret & convivium, & theatrum sacratissimum, inquit Philo Judæus lib. de mundi Opific. vid. §. 12.

* 8. Cur porro DEUS Evam ex Adæ costa formavit?

Placuit DEO mulierem Adæ Evam, ex parte corporis virilis producere, *partim* ad ὁμοιότητα & similitudinem utriusque conjugis, atque ita porro ad unitatem originis aut principii totius generis humani

humani, tantò clarius cognoscendâ; *partim* ut amicitiæ conjugalis insigne fundamentum conspiceretur. Hugo de sancto Victori tradit, *non de capite, nec de pedibus sumtum esse id, unde fieret mulier: ne*, inquit, *aut Domina, si de capite; aut ancilla, si de pedibus putaretur. Ideo de medio, id est, costâ sumi debuisse, ut socia intelligeretur.* §. 13.

* 9. Ast ubi DEUS Adamum & Evam creavit?

In quo loco, seu in qua parte terræ DEUS Adamum atque Evam produxerit, id non satis manifeste constat. Nam traditiones Ebræorum de Agro Damasceno, tacente Scripturâ, subleste fidei videntur. Extra Paradisum autem conditos & in eum postea introductos fuisse putatur. Enim vero de Adamo res clara est, ex Genes. II, 7. ubi narratur, quod DEUS Adamum *tulerit & posuerit in Paradisum.* Mulierem autem non minus extra Paradisum productam, ac demum, postquam cum Adamo divinis auspiciis copulata esset, unâ cum eo in Paradisum traductam Basilius Magnus putavit: quem recentiores non pauci sequuntur. §. 14.

* 10. Cæterum quid de animæ humanæ propagatione statuendum?

Antiqua sane, & difficilis quæstio est. Equidem quotidianâ docemur experientiâ, DEUM, ut mundus perennare possit, produxisse corpora simplicia, incorruptile scilicet cœlum & Elementa.

Docę-

Docemur etiam usu quotidianô, Mixtis corporibus, nempe herbis, plantis arboribus & omnibus animalibus, vitam corruptionis obnoxiam habentibus vim generandi & sese multiplicandi à sempiterno Creatore esse communicatam, conservandi generis sui gratiâ. Unde DEUS non duntaxat ex omnium animalium genere, unum par, nempe masculum & fœminam produxit; sed & vim generandi iisdem indidit, dicens: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.*

Genes. I, 27. Conf. v. 11. 12. 22. 29. Nihilominus tamen, de modo propagandi, præsertim animæ humanæ, magna difficultas, & indecisa quæstio plerumque manet. Etenim *utrum anima, humana*, vi benedictionis divinæ Gen. I, 22. & 27. instar brutorum, mediante semine masculorum cum concursu DEI generali; an vero influxu DEI speciali, defectum generantium supplente producatur: plerique in hac re nobiscum malunt ἐπέχειν. *Melius origo animæ latet, dum tamen eam non dubitemus esse DEI creaturam, quam vel DEUS peccati Auctor dicatur; vel baptisma parvulorum in irritum ducatur, inquit.* August. Ep. 157. Et ad Optatum, Etsi inquit, *origo animæ lateat, dum tamen redemtio clareat, periculum non est.* Hinc B. Luth. maluit etiam cum Augustino, sentire: qui urgente & instante D. Pomerano (Bugenhagio) ut determinaret certò, quid tamen de origine Animæ statuendum esset, reluctatus est, licet magis inclinans in sententiam de traduce dicens: *Ego quidem pro*

mea

mea credulitate sentio, quod anima sit extraduce; sed sciamus, quod in Ecclesia loquendum sit cum reverentia & timore DEI, & vereri DEUM, in cujus conspectu loquimur. Non facile, inquit porro, *statuendum hoc, quod ignoramus*, referentibus B. *Joh. Wigmandô* qui se ejus discursûs meminisse ait lib. de Neutralibus & Mediis p. 38. 39. & B. Andr. *Musculô* in LL. CC. ex Patribus collectis lib. I. p. 89. seq. Et p. 90. tradit, B. Luth. *multa hic disputasse etiam pro sententia de creatione animæ; neutram tamen partem esse hic adfirmandam, sed esse cogitationem suspendendam, dotuisse, nec de traduce certò adserere voluisse.* Augustini & B. Luth. sententiam amplexi sunt inter plurimos, Joh. Wigmandus l. c. p. 38. Andr. Musculus l. c. B. Mart. Chemnitus LL. CC. de Pecc. Orig. fol. 236. B. Joh. Musæusalijq; vid. B. Auct. §. 22. item Proleg. Cap. I, p. 63. 64. & Part. II. cap. II. §. 14. p. 523. seq.

* II. Quid autem de Aquis supra cœlestibus statuendum?

Vox *Rakia* in ebræo textu posita significat non æthereum aut stelliferum; sed tantum aëreum cœlum, i. e, nubes aquis & pluviis gaudentes. Sic quoq; voces ebrææ *Meal* & *Mittachal* exponi debent, non *supra* & *infra* sed à *supra*, i. e. in superiori parte (von oben) & ab *infra*, i. e. à parte inferiori (von unten) B. Lutherus Tom. Altenb. 9. fol. 14. ait, se potius fateri, hunc locum se non intelligere, quâm cum Græcis, aquas istas supra octavam Sphæram constituentibus loqui B. Gravesus

rius dubitat etiam de his aquis, Quæst. illustr. Disp. 8. 3. Auct. §. 7.

* 12. Quomodo Creatio definitur?

Creatio, est actio DEI trinunius, ad *extra*, quâ DEUS bonitate suâ impulsus, mundum hunc, &, quæ in eo sunt, omnia, primum quidem corpora simplicia ex nulla præjacente materia; deinde ex corporibus simplicibus tanquam inhabili & indisposita materia corpora mixta; quin etiam independenter ab omni materia, substantias immateriales produxit, ita ut quodlibet horum juxta ideam mentis suæ solô voluntatis imperiô totum opus absolveret, ad sapientiæ, potentiæ & bonitatis suæ gloriam, atque hominum salutem. §. 24.

PARTIS I.

CAP III.

QVÆSTIO I.

DE ANGELIS.

Quid intelligis *nomine* Angeli?

ANgelus est nomen officij Ministrum Legatumque denotans. Unde & Christus, Prophetæ, Sacerdotes, Ministri verbi divini & alij homines legatione functi, sacris in literis Angeli nomine gaudent. (Conf Genes. xxxii, 3. 6. Jac. II, 25. 2. Paral xxxvi, 15. 16. Hag. I, 13. Malach. II, 7. III, 1.) Peculiariter hâc adpellatione significatur certa creaturarum species, ab hominibus & alijs creaturis omnibus ipsâ naturâ sua distincta. vid. B. Auct. §. 2.

2. Describas, velim, qua *rem* quid sint Angeli?

Angeli sunt DEI Trinuninus creaturæ incorporeæ, seu subsantiæ spirituales, intellectu & voluntate præditæ, & ex nihilo in tempore, ante hominem, ad imaginem DEI, in summa scilicet perfectione, sapientia, justitia & sanctitate, creatæ: ut DEO ministrent, atque hominibus, præsertim pijs, in omnibus hierarchijs, eos in omnibus eorum vijs custodiendo, æternâ felicitate perfruantur. §.4. seqq.

*3. Unde constat *dari* tales Angelos?

Ex libro naturæ quidem id evidenter non constat; sed tantum leviter persvaderi potest. Ex libro Scripturæ verò manifestissima res est, Angelos dari. §.3.

4. Quibus Scripturæ dictis confirmabis Angelorum existentiam?

Psalm. XCI, 11. DEUS *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

Psalm. CIV, 4. DEUS, *qui facis Angelos tuos Spiritus, & Ministros tuos ignes urentes.*

Psalm. CXLIIX. 2, *Laudate DEUM omnes Angeli ejus: Laudate eum omnes virtutes ejus.*

Esa. VI, 2. 3 *Seraphim*, i. e. Angeli DEI, *stantes super solium Dei, clamabant alter ad alterum & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Dominus Zeba oth seu exercituum: *plena est omnis terra gloriâ ejus.*

Ebr,

Ebr. I, 4. & 14. *Nonne omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Conf. Genes. XIIX, XIX. Lib. Tob. V. & seqq. Matth. IV, 6. 11. & alibi. §. 3.

* 5. Ergone Angeli intellectu præditi rerum quadam *cognitione* gaudent?

Est illis omnino triplex cognitio

(1.) *Naturalis*, bonis & malis Angelis competens, quâ se invicem mutuò, & alias res, Deumque ipsum naturaliter cognoscunt. Futura tamen contingentia, vel occultas hominum cogitationes certo & infallibiliter non cognoscunt: Licet conjecturalem eorum notitiam sagacitati ipsorum non negemus. § 8. seqq.

(2.) *Revelata*, quæ post lapsum malorum Angelorum, bonis solum accidit, ita ut & futurorum contingentium, ex revelatione divinâ sibi facta, certam habeant interdum cognitionem. §. 11.

(3.) Est denique Angelis cognitio *beatifica*, quâ soli boni in bonoque confirmati, DEUM à facie ad faciem, & Ejus suam Beatitatem sempiternam cognoscunt. §, 8.

* 6. Suntne inter Angelos certi *Ordines?*

Differre Angelos inter se certis ordinibus, aut gradibus, dubium non est. Ita namque colligitur ex diversis nominibus, qualia sunt: *Cherubim* Genes. III, v. ult. *Seraphim*, Esa. VI, 2. *Throni imperium* &c. Colos. I, 16. Ephes. I, 21. *Archange-*

lus, 1. Thessal. IV, 16. An autem Angeli isti invicem naturâ & essentiâ, aut quî differant? non liquet. *Dicant, qui possunt, ego me ista ignorare confiteor,* inquit Augustinus Enchirid. ad Laur. c. 18. vid. §. 18.

*7. Quam vero magnus est Angelorum *numerus?*

Numerus Angelorum admodum magnus est. Nam *millia millium & decies millies centena millia* eorum, nempe bonorum, numerantur, qui DEO serviunt, Dan. VII, 10. & Christus Matth. XXVI, 53. sibi roganti, facile *plusquam duodecim Angelorum Legiones à Patre missum iri* docet. Sed & in uno homine *Legio* integra *Spirituum immundorum* fuisse legitur Marc. V, 8. Legio autem apud Romanos communiter sex milium militum multitudo erat: etsi alias numerus variat.

Cum igitur & in Epistola Ebr. XII, 22. *innumerabilium Angelorum* (μυριάδων) mentio fit; merito numerus Angelorum indefinibilis habetur. §. 17.

8. Quotuplices autem sunt Angeli?

Quamvis quidem omnes Angeli initio boni fuerint creati, omnesque donis gratiæ, nempe summa perfectione, sapientiâ, justitiâ & sanctitate fuerint præditi: Nihilominus tamen quia non omnes, sed aliqui duntaxat concessâ ista sibi gratia, rectè sint usi, hinc alij dicuntur Angeli *Boni*, alij *mali*. §. 23.

9. Quos

9. Quos dicis Angelos esse *Bonos?*

Qui in bonitate seu justitia & sanctitate, in qua conditi fuerant, perseverarunt, atque à DEO obedientiam ipsorum gratiose remuneraturo in bono confirmati sunt, ut bonitatem perdere, peccare, aut mali fieri, amplius non possint § 24.

10. Qui vocantur Angeli *mali?*

Qui à bonitate primæva sponte sua desciverunt, &, gratiâ justô DEI judicio subtractâ, ita in malo confirmati sunt, ut ad bonitatem redire, bene agere, aut non peccare nequeant. § 25.

* 11. Quodnam fuit *primum* malorum Angelorum *peccatum?*

Quanquam, quodnam, vel quale in specie illud fuerit peccatum, an inordinata sui ipsius Diaboli complacentia, & adfectatio divini honoris ac dominij; an vero quodpiam aliud; ex scriptura sacra non satis clarum est. Communiter putatur fuisse *Superbia*, ex Gen. III, 5. Matth. IV, 9. & Eccles. X, 14. §. 43.

* 12. Quô tempore lapsus hic Angelorum factus est?

Equidem quamdiu Status gratiæ Angelorum duraverit, id non satis distincte constat. Hinc illa opinio, dum quidam putant, lapsum Angelorum secundô creationis die factu m, planè est infirma atque incerta. Hoc tamen certum est, distinctionem Angelorum bonorum & malorum, antequam homines primi laberentur, locum habuisse:

nam *cuncta*, *quæ fecerat* DEUS *erant valde bona*, Gen. I, v. ult. Et Christus ipse vocat *Diabolum homicidam â principio & Patrem mendacij*, Joh. IIX, 44 §. 26.

*13. Qualia in primis opera Bonis Angelis in Scriptura Sacra adscribuntur?

Angeli boni in vita sua beata diversis funguntur operationibus. Nam *aliæ* pertinent ad ipsam eorum beatitatem, *aliæ* ad ministerium. *Illæ* sunt, quod perpetuò, præ perpetuâ sua beatitate gaudeant & tripudiant, quod intuitive cognoscant DEUM, eum impensissime ament, & per divinam sibi factam revelationem varias res Ecclesiæ & mysteria fidei v. g. Incarnationis Christi, conversionis hominis peccatoris, &c. cognoscant. Glorificant autem DEUM, tanquam bonum, Eumque amant: hominibus, tanquam amicis, gratulantur: & super eorum, tanquam à se amatorum, quibus optima quæque optant, conversione gaudent. Conf. & Luc. I, 26. 31. II, 13. 15. XV, 7. & 10. §. 33. & 34.

* 14. Quænam vocantur opera bonorum Angelorum Ministerialia?

Quibus Angeli DEO & Christo θεανθρώπῳ eos laudantes ac adorantes serviunt, atque piorum hominum commoda & salutem in omnibus statibus Hierarchicis promovent. Sunt enim omnes πνεύματα λειτουργικὰ *Spiritus muneri publico destinati*. eoque *fungentes*, Ebr. I, 14. *Ideoque efficiunt verbum Dei & ejus voci auscultant* Psalm. CIII,

CIII, 21. *faciunt voluntatem ejus in cœlis*, προσκυνοῦντες αὐτῷ *adorantes eum*, velut incurvati aut ad pedes prostrati; item Διακονοῦντες αὐτῷ *ministrantes ei*, commissa traditaque expedientes aut dispensantes vid. Matth. VI, 10. & 11. Ebr. I, 6. DEUS autem utitur eorum ministeriô, non ex quadam indigentia, sed voluntate libera & providentiæ suæ suavi dispositione. §. 34.

* 15. Quodnam est opus & *officium* Angelorum bonorum ratione Statûs *Ecclesiastici?*

In genere, quòd ministerium verbi variâ, eaque felici cum successu, ratione promoveant. In *specie*, quòd promulgatione Legis Mosaicæ, tanquam Ministri adfuerint: quod Christi adventum in carnem adnunciarint: quòd denique impediant idololatriæ in Ecclesiam introductionem, & cœtibus sacris intersint, ceu videre est 1. Cor. XI, 10. & 1. Tim. V, 21. §. 37.

* 16. Quod item est officium bonorum Angelorum in Statu *Politico?*

Statui Politico ita inserviunt Angeli, ut impediant, quo minus vincula Reipublicæ rumpantur; adjuvent quoque & defendant Magistratum ac ejus ministros, & denique arceant pericula, hostesque iniquos adfligant. §. 38.

17. Quod vero est officium Bonorum Angelorum in statu *Oeconomico?*

Oeconomiæ ministrant, & inprimis piis singu-

lis, eos in ipso vitæ initio atque infantia tuendo, adultioribus in omni eorum honesta functione serviendo, conjugia eorum promovendo, rem familiarem custodiendo, liberos & pignora familiæ tuendo, & denique morientium fidelium animas in sinum Abrahæ transferendo. §. 36. 39.

18. Adfer, amabò, dicta Scripturæ, quibus ministerium hoc Angelorum declares?

Matth. XIIX, 10. Christus ait, *puerorum* curæ destinatos *Angelos semper videre faciem Patris sui, qui est in cœlis.*

Psalm. XXXIV, 8. *Castra metatur Angelus circum timentes DEUM & eripit eos.* Conf. supra Psalm. XCI, 11 & 12.

Dan. VI, 22. Daniel Propheta ait: *DEUS meus misit Angelum suum & conclusit ora Leonum & non nocuerunt mihi: quia coram eo justitia inventa est in me* &c.

Luc. XVI. 22. *Factum est ut moreretur mendicus Lazarus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.*

* Sic leguntur Angeli admonuisse de præsentibus rebus, Josephum Mariæ Maritum, Matth. I, 20. II, 13. 19. Cornelium Centurionem Act. X, 35. præmonuisse de futuris Apoc. I, 1. XXII, 6. 16. Præstare opem ad declinandum malum, Psalm. XCI, 11. 12. defendere in malis Dan. III, 25. eruere è malis, exemplô Petri, Act. XII, 7. & Apostolorum plurium simul, Act. V, 18. 19.

solatium

solatium præbuisse parentibus, v. c. Zachariæ Luc I, 13. Mariæ v. 30. Mulieribus ad sepulchrum Christi venientibus, Matth. XXIIX. 5. Marc. XVI, 6. In specie, in *statu Ecclesiastico* cernuntur Angelorum officia, dum divina *Lex per Angelos ordinata* legitur Gal. III, 19. Conf. Deut. XXXIII, 2, Act. VII, 35. Sic creditur lis illa Michaelis Archangeli cum Satana Epistola Judæ v. 9. super corpore Moysis hinc exorta fuisse, quod Satanas corpus Moysis à DEO occultatum, producere in lucem niteretur, ad præbendam Israelitis occasionem idololatriæ; ideoque bonum Angelum hunc obstitisse. In *statu Politico* deprehenduntur Bonorum Angelorum officia, quando Dan. X, 13. dicitur, DEUM misisse Angelum in Aulam Regis Persarum, eô tempore quô seu Angelorum seu officialium aut Consiliariorum malorũ studiô atque operâ religio & justitia pessum ituræ videbantur, ut suppressis horum conatibus, tranquillitas & salus publica servaretur. Quin & 2. Reg. XIX, 35. & Esa. XXXVII, 36. Angelum Domini pio Regi Ezechiæ, bellô ab Assyriis injuste petito, succurrisse, & exercitum hostilem internecioni dedisse narratur. *Statum Oeconomicum* solatur inter alia fidelium Pater Abrahamus, qui confidit DEUM, Angelum suum Isaaco missurum, atque conjugium ejus procuraturum, Gen. XXIV, 7. Et denique Jobi I, 10. DEUS dicitur *vallasse*, aut vallô circumdedisse domum Jobi; eô sensu, quô Psalm. XXXIV, 10. dicitur DEUS immittere *Angelum in circuitu timentium eum*. §. 36. 39.

* 19. Estne vero *cuique* homini *certus Angelus* à DEO ad custodiam datus?

Certum est, hominis custodiam non ita uni adsignatam esse Angelo, ut reliquorum auxiliô destituatur. Ordinarie tamen unum Angelum pio cuivis ad custodiam destinatum probabiliter dici potest. Extraordinarie vero plures Angelos ad singulos fideles, multi. Ita periclitanti Jacobo *occurrunt Angeli DEI, quos vidisset, ait: Castra DEI sunt hæc: & appellavit Nomen loci illius Mahanaim, id est Castra.* Gen. XXXII. Sic quoque quum Rex Syriæ persequeretur Elisæum: *Ecce Mons plenus equorum & curruum igneorum*, h. e. Angelorum, *in circuitu Elisæi.* 2. Reg. VI, 17. Quod autem de Petri Angelo legitur Act. XII, 15. id potius ex trita populi illius opinione, quàm ex tripode dictum est. §. 16.

* 20. Quid porro sentiendum, de *operibus* Angelorum visibilibus, quæ ipsi in adsumtis corporibus humanis effecere?

Quod Angeli interdum varia corpora, præsertim humana, vel ex aëre circumstante, vel ex alia cujuscunque naturæ substantia efficta adsumant, & in adsumta natura humana, humanas quoque actiones peragant, v. c. ambulando, loquendo, edendo, bibendo &c. juxta Genes. XIIX, & XIX, Tobiæ V. & seqq. Id fit non naturali, sed supernaturali, nobisque explicatu difficili ratione. §. 5. & 14.

21. Quodnam

21. Quodnam erit Bonorum Angelorum in die *Pantocritico* ministerium?

Peculiare hoc Angelorum officium, quô fungentur in die novissimo, erit, quando Christum ad judicium extremum accedentem comitabuntur, ejusque adventum sono tubarum proclamabunt: homines ex omnibus mundi partibus colligent, pios ab impiis segregabunt; *illos* ad dexteram Christi collocabunt, in occursum ei ductos in aëre; *hos* ad sinistram Judicis constitutos mox in infernum præcipitabunt. | §. 40.

22. Ex quibus Scripturæ sacræ dictis Ministerium istud Bonorum Angelorum elucet?

Hæc omnia manifestissima sunt ex dictis seqq.

Matth. xxv, 31. *Quum autem venerit Filius cum gloria sua, & omnes Sancti Angeli cum eo, tum sedebit in throno gloriæ suæ.*

1. Thessal. IV, 16. *Ipse Dominus cum hortationis clamore, cum voce Archangeli, & cum DEI tuba descendet é cœlo: & qui mortui fuerunt in Christo, resurgent primùm. Deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes in occursum Domini in aëra.*

Matth. XXIV, 31. *Filius hominis mittet Angelos suos cum tubæ voce magna & cogent electos ejus á quatuor ventis à cœlorum extremo ad eorum extremum.*

Matth. XIII, 49. *In consummatione seculi prodibunt*

dibunt Angeli & segregabunt malos è medio justorum!

Item cap. eod. v. 4. & 42. *Filius hominis mittet Angelos, qui colligent ex ipsius regno omnia offendicula & eos, qui dant operam transgressioni legis: Projicientque eos in fornacem ignis, illic erit fletus & stridor dentium.*

23. Annon vero Angeli Boni, pro tanto eorum in nos munere sunt religiosè *colendi & adorandi?*

Preces nostras religiosas cum fiducia ad Angelos bonos, tanquam bonorum spiritualiuu juxta atque corporalium Auctores, dirigere eosque quocunque religioso cultu colere non decet. Hoc enim & impium atque idololatricum, & inutile atque inconsultum est. Nam hujus cultûs neque mandatum, neque exemplum, neque promissum ullum in Scriptura canonica habemus. Imò vero Angelus Domini simpliciter & constanter cultum adorationis repudiat & se conservum Johannis, ad pedes Angeli procidentis, & eum adorantis, esse profitetur, inquiens:

Apoc. XIX, 10. *Vide ne feceris: conservus tuus sum & fratrum tuorum, qui habent testimonium Jesu: DEUM adora!* Conf. XXII, 8. 9. §. 42.

24. Ergone Angelis Bonis nullus penitus cultus ab hominibus tribuendus?

Sane propter illas perfectiones, quibus eos pollere vidimus, quodque nobis plurimum favent ac prosint; decet utique, ut eos magni faciamus, amemus,

mus, eorum memoriam, ut eorum imitemur bona opera, oculis nostris sæpius proponamus, ac denique sedulò caveamus, ne malis actionibus nostris ipsos offendamus & contristemur. Unde præclare satis D. Augustinus lib. de vera relig. c. 55. *Honoramus*, inquit, *Angelos charitate, non servitute, nec eis templa exstruimus.* Nolunt enim sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cum boni sumus, templa summi DEI norunt. §. 41.

25. Quis est autem *status* malorum Angelorum post eorum lapsum?

Simul ac Angeli mali sub certo quodam Duce aut Principe, (quem Diabolum scriptura adpellat, quique vel exemplo vel suasione sua cœteros ad societatem sui peccati induxit,) à creata sanctitate & justitia sua defecerunt & peccarunt; protinus omnes amiserunt etiam gratiam sibi concreatam, atque ita inciderunt in miseriam acerbissimam, sine spe restaurationis. Etenim non ita Angelis, sicut hominibus, DEUS concessit pœnitentiæ tempus & locum; sed auxilium gratiæ penitus eis denegavit. §. 44. 45.

* 26. Quænam sunt malorum Angelorum Operationes?

Diabolus & Angeli ejus non abs re vulgò mille fraudum artifices dicuntur. Operationes namq; eorum, quas passim exercent variæ sunt. Inprimis vero notari debent, quæ tendunt in perniciem, cum hominum singulorum; tum statuum Hierarchicorum §. 49.

27. Quo-

27. Quomodo Angeli mali nocent hominibus?

Nocent & nocere ſemper conantur Angeli mali, *partim* corporibus hominum, varios morbos immittendo; *partim* bonis externis, ſeu opibus, vel easdem corrumpendo, vel auferendo; *partim* ipſi denique animæ, eam per peccata à DEO avertendo inque damnationem æternam per perſeverantiam in peccatis atque impœnitentiam pertrahendo.

Luc. XIII. 11. *Ecce mulier, quæ habebat Spiritum infirmitatis annis decem & octo; & erat incurvata* (adligata à Satana) *nec omnino poterat ſurſum reſpicere.*

Jobi II, 7. *Egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Job ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem ejus.*

Luc. XXII, 31. *Ait Dominus* Jeſus: *Simon, Simon ecce Satanas expetit vos, ut cribraret* (ventilaret) *ſicut triticum.* * Id eſt, ut tentationibus variis Apoſtolorum mentes agitare, turbare, fidem eorum labefactare, imò ſi par eſſet, eam excutere, & ſcandalô ex paſſione Chriſti conceptô Ἀποστασίαν totalem. quin & finalem perducere eos poſſit. Hos Satanæ inſultus ſupponunt etiam dari Gentilium Apoſtolus Paulus, & Apoſtolus circumſionis Petrus *armaturam Spiritualem* itemque *fidem* ac *vigilantiam* Chriſtianam, in certamine cum ſpiritibus maxime commendantes, ceu videre eſt.

Epheſ. VI, 10, & 11. *Fratres mei, corroborami-*

ni

ni in Domino, & robore virium ipsius. Induite universam illam armaturam DEI, ut posſitis ſtare adverſus artes Diaboli.

Item v. 14. 19. *State igitur, lumbis circumcinctis veritate, & induti thorace juſtitiæ: Calceatis pedibus præparatione Evangelii pacis. Supra omnia adſumtô ſcuto fidei, quò posſitis omnia jacula Mali illius ignita extinguere. Galeam etiam ſalutis recipite, & gladium Spiritus, hoc eſt verbum DEI. Omni prece & deprecatione orantes omni tempore per Spiritum, & illi ipſi rei excubantes cum omni perſeverantia & ſupplicatione pro omnibus ſanctis.*

1. Pet. V, 8. 9. *Sobrij eſtote, & vigilate: nam adverſarius ille veſter Diabolus, ut Leo rugiens, obambulat, quærens quem devoret. Cui obſiſtite firmi per fidem, ut qui noveritis easdem adflictionis veſtræ, quæ in mundo eſt fraternitati perfici.* §. 50.

28. Quid de *Obſeſſione* Satanæ in Scripturis Sacris docetur?

Obſeſſio eſt vel *Spiritualis*, per quam Satanas efficaciter animos hominum impiorum ad peſſima ſcelera impellit; vel *corporalis*, quâ Satanas ſecundum ſubſtantiam ſuam intra corpora hominum habitat, & in illis operatur ex permiſſione divina. *Spiritualiter* obſeſſus fuit Judas, Luc. XXII. 4. *Introivit* enim *Satanas in Judam, cognominatum Iſcariotem, qui erat é numero duodecim.* Sic de infidelibus dicitur & perituris, quod *in eis DEUS hujus ſeculi excæcaverit mentem, ne irradiet eos illu-*

illustratio Evangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2. Cor. IV, 4. Quia & Ephesios ipsos spiritualiter obsessos fuisse docet Paulus.

Ephes. II, 1. 2. *Vos, quum essetis mortui in lapsibus & peccatis, in quibus olim ambulastis, ut est vita hujus mundi, secundum Principem, cui potestas est aëris, & Spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus.* Conf. 2. Tim. II, 26.

Corporalem obsessionem multa dæmoniacorum seu obsessorum ab impuro Spiritu, exempla in Sacris testantur, v.g. Matth. VIII, 28. 31. 32. Marc. VII, 25. seqq. Luc. IV, 35. 36. §. 51.

29. Quinam homines Obsessioni Satanæ fiunt obnoxij?

Certe non saltem impij; verum etiam interdum pij: ceu colligere est ex exempo Jobi & Pauli. Nam illius corpus Satanas miserrime adflixit *percutiens eum ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus: Qui testâ saniem radebat sedens in sterquilinio*, Job. II, 7. 8. Paulo autem *datus furculus infixus carni* nempe *Angelus Satan, qui eum colaphizet, ne supra modum exferatur*, 2. Cor. XII, 7. Quodsi ergo tanti viri DEI, obsessioni Satanæ fuere obnoxii, Paulusque tantus Apostolus à Satan laphizatus est, ne magnitudo revelationum ipsum extolleret; quid mirum, si etiam Satanæ potestas ad tempus in corpora piorum concedatur? Interim scimus quod *diligentibus DEUM omnia cedant in bonum*, juxta Rom. VIII, 28. Itaque DEUS Satanæ obsessionem permittit, vel

(1.) ut

1. Ut impiorum peccata graviora, contemtum verbi, securitatem carnalem, blasphemias, conspirationem cum Diabolo &c. vindicet.

2. Vel piorum fidem probet, ac probatam orbi manifestiorem reddas.

3. Vel ut potentiam suam, justitiam, bonitatemque ostendat.

4. Vel denique ut, si non obsessorum, solummodo aliorum id spectantium vel audientium pœnitentiam, fidem & salutem procuret. §. eod.

* 30. Quid intelligendum nomine *Spectri?*

Spectra, Græci ὁ εἰδωλα, Latini *visa* seu adparentia adpellant (quæ quidem non solum visui, sed & alijs sensibus objiciuntur) in generali significatione sunt *alia* mere imaginativa, ex somnio, morbo, aut mala conscientia orta; *alia verè talia* sunt, eaque rursus vel *Divina* ex immediata operatione DEI, vel *Angelica*, ex operatione bonorum Angelorum; vel *Naturalia*, ex ignorantia causarum Physicarum. Inprimis & Mathematicorum arte facta, vel denique *Diabolica* in specie sic dicta, quæ hominibus illudunt, & seu corpus seu animam eorum perdere aut adfligere student. De Babylonijs & Idumæis spectris Esaias vaticinatus est h. m:

c. XIII, 21. *Requiescent in Babylon bestiæ, & replebuntur domus eorum Draconibus, & habitabunt ibi Strutiones, & pilosi saltabunt ibi.*

c. XXXIV, 14. *In Idumæa occurrent Dæmonia, onocentaurus & pilosus clamabit alter ad*

alterum, ibi cubabit lamia, & inveniet sibi requiem.

Sap. XVII, 3. 4. *Iniqui, dum putant se latere, in occultis peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, parentes horrende, & tumultuosa admixtione nimia perturbati: Neque enim, quæ continebat eos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus defendens perturbabat illos, & personæ tristes illis adparentes, pavorem illis præstabant.* Conf. Levit. XVII, 7. 2 Chron. XI, 15. una cum Apoc. XVIII, 2. §. 52.

* 31. Quomodo Angeli mali insidiantur *nocentve* Statibus Hierarchicis, & in specie *Ecclesiastico?*

(1.) Quando spargendis zizanijs & doctrinis dæmoniorum seu hæresibus invigilant, juxta Matth. XIII, 27, 28. 1. Tim, IV, 1. 2. 2. Thess. II, 8.

(2.) Quando pios & salutares Ministrorum Ecclesiæ conatus impediunt: id quod *Paulo* accidit 1. Thess. II, 18. ubi se ad Thessalonicenses *semel iterumque venire voluisse*, sed à *Satana impeditum fuisse* scribit.

(3.) Quando Auditores à pia verbi divini meditatione, & legitima Sacramentorum usurpatione abducunt, (ut scilicet conversionem & salutem eorum intervertant) & verbum DEI è cordibus audientium tollunt.

Huc pertinet locus Luc. IIX, 12. ubi *Satan* dicitur *tollere verbum Dei è cordibus audientium.*

Sublatio vero hæc fit varijs rursum modis, v. c. quando Satan objicit hominibus ea, quæ in materiam

riam cogitationum peregrinarum cedunt, aut præjudicia adfectusque varios excitat, quibus vel oblivio, vel vilitas verbi lecti, aut prædicati, & Sacramentorum, inducatur.

(4.) Quando varias easque truculentas, & horrendas interdum persecutiones adversus doctrinam & Ecclesiam Christianam, ceu tempore decuplicis persecutionis, & aliàs factam excitant. §. 43.

*32. Quomodo mali Angeli insidiantur Statui *Politico?*

(1.) Quando iniqua & exitiosa consilia suggerunt imperantibus: quale erat *de numerando populo* Israël, quod *Satan Davidi* suppeditavit, 1. Chron. XXI, 1. & quod *Achabo* datum fuit, ut bellô peteret Syrios, 1 Reg XXII. 21, 22.

(2.) Quando harmoniam & unanimitatem reipublicæ multis modis turbant, spargendo nimirum semina disidiorum, juxta tritum illud: *Divide, & regnabis.* §. 54.

*33. Quomodo mali Angeli insidiantur Statui *Oeconomico?*

(1.) Quando inter Conjuges ipsos, vel varias lites inserunt, vel ad libidinem, varias suspiciones, & id genus, sollicitant: quem dolum Satanæ animadvertere & cavere jubet Paulus, 1. Cor. VII, 5. dicens: *ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.*

(2.) Quando liberis eorum insidiatur, & nocet, ceu testatur historia Jobi, c. 1, 19. cujus *filios & filias vescentes ac bibentes vinum in domo fratris*

sui primogeniti, irruente vehementi ventô corruens domus oppressit. Conf. c. 11, 9. Simile exemplum est in Cananææ Mulieris *Filia, quæ male à damonio vexabatur.* Matth. xv, 22. Plerumque etiam rixas & varias suspiciones inter liberos excitant, ceu de *Josepho* docetur, quod *fratres sui oderint & occidere* voluerint eum Genes. XXXVII, 4. 20.

(3.) Quando Bonis familiæ, non saltem juxtâ historiam Jobi & Thobiæ, insidiantur; sed & familiam ad infidelitatem, inobedientiam &c. seducunt, & bonis tam mobilibus, quàm immobilibus per malos hominis aut tempestates varias nocent. §. 55.

* 34. *Utiturne* vero *DEUS* interdum & malorum Angelorum *Ministerio?*

Quidni? inprimis autem

(1.) Ad castigandos, sed paterne, & in hoc mundo, non autem in futuro, pios; uti videre est in Jobo c. I. & seqq. & Paulo 2. Cor. XII, 7. Ille quippe bonis, liberis & salute temporali ad tempus privatur; hic verò ab Angelo Satana colaphizatur.

(2.) Ad puniendos impios, tum in hac vita, tum post mortem. Quemadmodum DEUS *misit* in Israëlitas *iram indignationis suæ, & indignationem, & iram & tribulationem, immissiones per Angelos malos*; Psalm. LXXIIX, 49. Conf. Matth. XIIX, 34. §. 56.

* 35. Quas vero *pœnas* Angeli mali pro sua malitia contracta à DEO paratas habent?

Diabolus & ejus Angeli habent paratos sibi cruciatus

ciatus & dolores ex igne infernali,& quidem in æternum duraturos : Matth. xxv, 41. 46. *Tunc dicet Rex his,qui á sinistris erunt : Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Et ibunt hi in supplicium æternum,& in ignem inextinguibilem*,juxta Marc. IX, 43. Distincte autem velle exponere,quomodo ignis hic, si corporalis sit,agat in Spiritus ? curiosum magis est,quàm utile & necessarium. §.57.58.

PARTIS I.

CAP. IV.

DE

IMAGINE DEI IN PRIMA CREATIONE HOMINI COLLATA.

QUÆSTIO I.

In quonam consistit Imago DEI in prima creatione homini collata ?

IMago hæc consistit , (1) in spiritualis animæ sapientia , ad cognitionem rerum divinarum , humanarum & naturalium eximiam,& pro Statu primævo sufficientem ; (2) in naturali originali justitia & sanctitate cordis,oris, operis omniumque virium rectitudine ; (3) in corporis immortalitate ; & denique (4) in Dominio in creaturas inferiores seu animantia bruta. vid. B. Auct. §. 7-16.

*2. Quotupliciter Imago divina accipitur ?

Dupliciter (1) *Generaliter* & sine restrictione ,

quatenus continet omnia, in quibus conformitas quædam hominis cum DEO Archetypo (seu ad cujus imaginem & similitudinem homo factus est) locum habet.

(2.) *specialiter*, seu cum restrictione & κατ' ἐξοχήν (seu per excellentiam quandam) quatenus importat præcipuam quandam hominis cum DEO similitudinem, cujus vi homo absolute loquendo imago DEI expressa dici potest. §. 9.

*3. Prolixiùs, velim, describas Imaginem divinam *Generaliter* sumtam?

Generaliter accepta imago divina, præter justitiam & sapientiam homini primo concretam, includit sinò ambitu etiam ipsum esse spirituale animæ humanæ, (seu spiritualitatem) ejusque potentias, intellectum & voluntatem, simul etiam immortalitatem corporis & dominium in creaturas alias. §. 7.

*4. Similiter delinees imaginem divinam *specialiter* sumtam?

Specialiter accepta imago divina importat perfectiones quasdam accidentales, intellectui & voluntati primorum hominum concreatas, perfectionibus, quæ in DEO sunt, conformes & collatas hominibus ad actiones suas rectè instituendas finit ultimi consequendi causâ. §. 8.

5. Qualis fuit imago DEI in anima & quidem α in *Intellectu* humano?

Ex parte intellectûs, contulit DEUS, hominibus primis

primis, Adamo & Evæ, Sapientiam Scientiam & perfectionem aliquam, quibus cognitio rerum divinarum (i. e. essentiæ & voluntatis DEI, quantum necesse fuit) itemque humanarum & naturalium eximia, atque pro statu primævo sufficiens, velut ferme in DEO, naturaliter fieri potuit. §. 9.

6. Qualis fuit imago divina β in *voluntate* hominis?

Ex parte voluntatis collatæ sunt hominibus primis à DEO vires spirituales, seu inclinatio & promtitudo quædam naturalis ad DEUM super omnia diligendum, facienda, omittendaque omnia, quæ intellectus ei facienda, vel omittenda præscriberet. Adeoque tota hominis voluntas eò vergeret, ut homo in perfecta justitia & sanctitate juxta utramque Decalogi tabulam iuculpatè vivens, nullatenus peccaret. §. 10.

7. Qualis fuit imago DEI γ in *Adpetitu* sensitivo?

Adpetitus sensitivus ita tunc perficiebatur, ut rectò judicio intellectûs, & sanctô imperio voluntatis, promtè & sine lucta se subjiceret, neque ulli motui inordinato & contra legem divinam, v. g. lasciviæ inordinatæ, iræ, invidiæ, &c. locum daret. §. 11.

8. Qualis porro fuit imago DEI δ in *Corpore* humano?

Deus contulit homini primævo etiam ex parte corporis aliquam sui imaginem, quatenus non tantum perfectiones animæ, per actiones externas

(opera scilicet justa, sancta & voluntati divinæ conformia) mediantibus membris corporeis (nempe oculis, auribus, linguâ, manibus, &c.) se exseruerunt; sed præterea ipsa membra corporis similitudinem quandam ad adtributa divina (quando quidem DEO per ἀνθρωποπάθειαν oculi, manus &c. in sacris passim adscribuntur) habent. Inprimis vero corpus immortale, seu quod perpetuò poterat durare & ab omni corruptione liberum manere, immortalitatis divinæ similitudinem ex intentione DEI habuit. §. 14.

* 9. Quâ, amabò, ratione primus homo ante lapsum fuit non mortalis?

DEUS omnipotens omnes contrarias elementorũ qualitates, adcuratissimâ harmonia, ita temperarat, ut passioni & dolori, qui ad interitum tenderet locum dederit nullum. Atque ita primus homo ex parte sui corporis, per ipsam naturæ bonitatem, sine speciali DEI, velut necessitatem moriendi avertentis, auxilio, potuerat non mori seu fuit immortalis. Immortalis autem fuit, non eô sensu, quô DEUS per naturam suam est immortalis, cui per essentiam repugnat esse mortalem, aut posse destrui. Neque eô sensu Adam & Eva dicuntur fuisse ante lapsum immortales, quô Angeli, per naturam suam immateriales (hoc est Spiritus carnem & ossa non habentes) etiam naturâ immortales dicuntur; etsi à DEO adnihilari possint. Sed primus homo dicitur fuisse immortalis quatenus ipsa natura corporis ejus talis fuit condita,

dita, ut posset perpetuo vivere, neque obnoxia esset morti, serius ocyus subeundæ. §. eod.

10. Ast edissere porro, qualis denique fuit imago DEI in primo homine, quà *Dominium* in bruta animantia?

Dominum hoc in creaturas inferiores, præsertim in animantia bruta (non autem in Astra vel Angelos) constitit inprimis in promtissimo animantium brutorum obsequio, ad nutum humanum, ut non tantam eorum feritatem inobedientiam & immanitatem, quantam nunc pasim experimur, primi hominis experti fuerint. Quô itidem aliquam similitudinem cum DEO, hujus Universi Domino, habuere. §. 15.

11. Quibus autem dictis Scripturæ sacræ tam multifariam imaginem DEI probas?

Genes. I, 26. DEUS ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & dominetur piscibus maris & volatilibus cœli & bestiis universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.*

v. 27, *Et creavit* DEUS *hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem creavit illum masculum & fœminam creavit eos.*

v. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus quæ moventur super terram.*

Gen. V, 1. *In die, quâ creavit* DEUS *hominem, ad similitudinem* DEI *fecit illum: Masculum & fœminam creavit eos,* Gen.

Gen. IX, 6. *Ad imaginem DEI factus est homo* Eccles. VII, 30. *DEUS fecit hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit quæstionibus.*

Ephes. IV. 23. 24. *Renovamini spiritu mentis vestræ: Et induite novum hominem, qui secundum DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Conf. 2. Cor. III, 18. Coloss. III, 9.

12. Estne vero proprie dicta imago DEI ab Adamo, etiam ad ejus posteros propugnata?

Haudquaquam: id enim, propter nequam serpentis *nequaquam*, factum est. Nam simul ac Protoplasti nostri â Diabolo seducti peccarunt, protinus concreatam justitiam & sanctitatem originalem, non solum sibi, sed & omnibus ac singulis posteris, licet tunc adhuc non existentibus, perdiderunt. *Adam* dicitur *Filios suos genuisse non* ad DEI, sed *ad suam imaginem* (id est peccato depravatam & horribili depravatione corruptam) Gen. V, 3. Sic quoque privantur posteri Adami omnes & singuli justitiâ hac originali, cum etiam ex Parentibus justitia originali destitutis, & pravâ concupiscentiâ laborantibus, nascantur. Adeoque tantummodo reliquiæ quædam & umbræ imaginis divinæ post lapsum Protoplastorum supersunt, vid. B. Auct. Part. II, cap. 2 §. 8. lit. d.

13. Cur autem imago DEI primis hominibus fuit impressa?

DEUS Trinunus ex immensa bonitate sua fecit id, partim propter sapientiæ, potentiæ & bonitatis gloriam; partim & in primis, ut homines vitam sanctam

sanctam DEOque placentem ducant, ac æternam beatitudinem consequantur, §. 2. 3. & 18.

* 14. Quænam est *definitio* imaginis divinæ *specialiter* acceptæ?

Imago divina specialiter accepta est complexus (seu coacervatio & comprehensio) plurimum perfectionum in intellectu & voluntate imò & in Adpetitu sensitivo, rimorum hominum à DEO Trinuno & ex Bonitate ejus in prima creatione, ad perfectionum divinarum imitationem, illis collatus; vitæ sanctæ & beatitudinis eorum denique gloriæ divinæ promovendæ causâ. §. 19.

* 15. Quomodo tandem definitur Imago divina *Generaliter* sumta?

Imago divina generaliter sic dicta, est complexus variarum perfectionum animæ & corporis humani primorum Parentum à Deo Trinuno ex sua bonitate juxta similitudinem suarum perfectionum, in prima creatione collatus, vitæ sanctæ ac beatæ hominum, & gloriæ divinæ causâ. §. 20.

PARTIS I.

CAP. V.

DE PROVIDENTIA DEI.

QUÆST. I.

Quid intelligis per Providentiam DEI?

QUando DEUS Triunus ex immensa sua bonitate, saluti creaturarum omnium ita consulit, ut ea, quæ rebus à se conditis, in esse suo conservandis

vandis, & ad fines suos deducendis conducunt, non solum per intellectum suum sapienter & salutariter disponit; verum etiam id efficiendum serio vult ac efficit: cum propter utilitatem hominum, inprimis piorum: tum propter sapientiæ potentiæ & præcipue bonitatis divinæ gloriam, vid. B. Auct. §. 2. 4. 5. & 20.

2. Unde probas talem *dari* Providentiam?

Præterquam quod Job. caput XXXVIII, XXXIX, & XL, itemque Psalm. CIV. per totum fere de Providentia DEI agant; Lucas Evangelista nervosè satis de eadem docet:

Act XVII, 25. 28. *DEUS*, inquit, *fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt: hic & cœli & terræ est Dominus: in ipso enim vivimus & movemur & sumus.*

Sap. VI, 8. *Pusillum & magnum Ipse fecit, & æqualiter cura est ei de omnibus.*

c. XII, 13. *Non est alius DEUS, quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniam non injuste judices judicium.*

c. XIV. 3. *Tua* (DEUS) *Pater, Providentia cuncta gubernat.* Conf. Matth. VI, 26. seqq. 1. Pet. V, 7. §. 3.

3. Sed quibus dictis Canonicis Trinunum DEUM Providentiæ hujus *Auctorem* esse demonstrabis?

De *DEO Patre* totus ferme sacer Codex loquitur: inprimis autem ipse Christus de suo Patre cœlesti

sti docet Matth. VI, 26. *Respicite*, inquit, *volatilia cœli, qua non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa.* Sic quoque de Patre, & de se, ceu Filio DEI, ait Joh. V, 17. *Pater meus operatur huc usque, & ego operor.*

De *Filio* DEI seorsim docet Paulus, Ebr. I, 3. Christus, inquit, *cum sit splendor gloriæ, & character personæ illius, sustinet omnia verbô illo suo potente.*

Colos. I, 17. *Omnia per ipsum consistunt.*

De *Spiritu sancto* constat inprimis ex 1. Cor. XII, 11. ubi Paulus rursum ait, quod varia linguarum scientiarumque dona *Omnia operetur unus atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult* §. 4.

4. Quotuplex est Providentia DEI?

Duplex: alia Generalis; alia Specialis seu: alia est universalis, alia Particularis & singularis.

5. Quam vocas Providentiam DEI *Generalem* seu *Universalem?*

Quâ Deus omnibus omnino creaturis in cœlo, terra, mariq; cum inanimatis tum animatis iisq; rursus tam vegetabilibus, quàm sensibilibus de omnibus commodis & rebus ad eorum existentiam & vitam, itemque bonum ordinem, et id genus, necessarias benignissime providet. Nihil quippe tam minutum aut exile in tota rerum universitate occurrit, ad quod sese providenta divina non extendat. §. 6.

9. Qui-

6. Quibus dictis, Providentiam DEI *Generalem* dari, confirmabis?

Præter adlata dicta Quæst. 2. & 3. Addatur Jobus c. XXIIX, 24. 25. 26. Docens, DEUS *fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo respicit. Ipse ventis pondus facit, inmensura adpendit aquas; ponit legem pluviis, & viam procellis sonantibus.* Psalm, CXLVII, 8. 9. *Psallite DEO nostro in cithara, qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam: qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum, qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.*

Matth. X, 29. 30. *Nonne duo passerculi veneunt unô asse, & unus ex eis non cadet super terram sine Patre vestro: Vestri vero etiam capilli capitis numerati sunt.* Conf. Luc. XII, 7. §. eod.

7. Quam vocas Providentiam DEI *Specialem* seu *Particularem*?

Quâ DEUS circa homines omnes, in primis autem suos fideles, ita occupatur, ut ejus Providentia ad eorum vitæ *ingressum, progressum & egressum* itemque ad omnes eorum cogitationes, sermones & actiones certô modo se extendat. §. 7.

* 8, Quomodo vero se extendit & exserit Providentia divina in homines?

Per Conservationem seu sustentationem singularum creaturarum; & per Gubernationem omnium rerum. Nimirum quando DEUS, (quod ad Ortum hominis adtinet,) non tantum influxu suô tam

tam generali, quam speciali ad producendos homines concurrit; sed & semper deinceps de omnibus animæ corporisque, quà vitam temporalem & æternam, necessariis, benignissime prospicit eosque sustentat, atque actiones eorum, præsertim fidelium, omnes universaliter, non tamen ad ipsa peccata, concurrens gubernat. §. 8. 12.

9. Unde probas *Specialem* dari DEI Providentiam?

Paulus de toto genere humano, tanquam progenie DEI, expresse dicit Act. XVII, 28. *In Ipso* (DEO) vivimus movemur & sumus Job. X, 8. seqq. *Manus tuæ* (DEUS) *elaboraverunt me, & fecerunt me adcurate totum in circuitu; sicut lutum fecisti me. Sicut lac mulsisti me, & sicut caseum coagulasti me. Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me: Vitam & misericordiam tribuisti mihi.*

Psalm. LXXI, 6. *Tibi* (DEUS) *innixus sum ex utero, ex visceribus matris meæ, tu eductor meus.*

Act. XVII. 25. 26. *DEUS dat omnibus vitam, & halitum, & omnia: Fecitque ex uno sanguine totam gentem hominum, ut habitaret super universa superficie terræ, definitis præstitutis temporibus, & positis terminis habitationis eorum.* Conf. de alimentis & amictu Matth. VI, 25. seqq. de cogitationibus arcanis, sermonibus & actionibus, Psalm. cxxxix, 1. seqq. de determinato tempore aut numero dierum ac mensium hujus vitæ Job. XIV, 5. §. 6. 7. 8.

* 10. Si

*10. Si DEUS *concurrit* ad omnes hominum actiones, adeoque & malas, annon, amabò, dicendus erit DEUS *causa Peccati?*

Minimè gentium: nam quamvis DEUS circa bonas juxta atque malas hominum actiones versetur; versatur tamen aliô modo juxta bonas; aliô verò juxta malas. Porro cum actiones bonæ *aliæ sint civiliter* bonæ, seu *Naturales*, quatenus scilicet viribus naturæ ab homine peragi possunt; aliæ *spirituales*, seu supernaturales, quæ vires hominis naturales excedunt, nec per eas fieri possunt, sed sublimioribus viribus indigent à DEO conservandis: Ideo actiones *civiliter bonas* respicit divina Providentia non solùm quoad impertiendum *concursum generalem*, quô hominibus cooperatur; verum etiam in respectu ad eas præcipiendas, adjuvandas & adprobandas. Ad spiritualiter bonas actiones eadem ratione quidem se habet; sed præterea DEUS etiam ipse ad eas peculiari influxu & cooperatione concurrit. Nam *ex nobis, tanquam ex nobis, non sumus idonei aliquid boni cogitare; sed quod idonei sumus, id ex DEO est*, inquit Paulus 2. Cor. III, 5. & Rom. VII, 18. 19 *Novi*, inquit, *non habitare in me, id est in carne mea, bonum: nam velle, adest mihi; sed ut, quod bonum est efficiam, non adsequor. Non enim facio bonum, quod volo; sed malum, quod nolo, hoc ago.* §. 11. & 12.

*11. Quo-

* 11. Quomodo DEUS versatur circa actiones hominum Bonas?

Quia hæ actiones, aliæ civiliter, aliæ spiritualiter bonæ sunt : Itaque *illas* (quæ alias *Naturales* dicuntur, quod scilicet viribus naturæ peragi possunt) respicit DEUS & Ejus Providentia non solum quoad impertiendum concursum, quo hominibus cooperatur, generalem ; verum etiam in respectu ad eas præcipiendas, adjuvandas & adprobandas. Ad *has* vero, seu spiritualiter bonas actiones (quæ alias *supernaturales* dicuntur, quia vires naturales excedunt, nec per eas fieri possunt, sed sublimioribus viribus indigent à DEO conferendis) eadem quidem ratione DEUS se habet, sed ita, ut etiam Ipse ad eas peculiari influxu & cooperatione concurrat. Nam *ex nobis, tanquam ex nobis, non sumus idonei aliquid boni cogitare, sed quod idonei sumus, id ex DEO est*, ait Paulus 2. Cor. III, Conf. Rom. VII, 18. & 19. §. 11. & 12.

* 12. Quomodo autem Providentia DEI, *Deus*que ipse versatur ac *concurit* ad *Actiones malas?*

Ad malas actiones ita terminatur & concurrit divina Providentia, ut illis quidem, cum fiunt, concursus generalis impertiatur, *quum DEUS det omnibus vitam & halitum & omnia : in Ipso enim vivimus movemur & sumus* Act. XVII, 25. & 28. Concursus autem iste extendit se solum ad actiones in genere consideratas ; non vero in specie, quatenus videlicet sunt malæ actiones. Malitia

quippe illa à solo Diabolo & ejus instrumento, homine, est. Cæterùm multas malas actiones, quæ alias erant futuræ, DEUS suâ Providentia impedit, ut *adulterium Abimelechi* cum *Sara*, Genes xx, 6. *persecutionem Labani*, Jacobo intentatam, ibid. xxxi, 24. 29. Et Psalm. xxxiii, 10. dicitur *Jehovam irritum facere* (malum) *consilium* gentium, *& irritas facere cogitationes* (malas) *populi*. Quascunque ergo malas actiones DEUS fieri permittit; illas semper ita dirigit, ut ad bonum finem tendant. Enimvero *Nulla est condemnatio in iis, qui sunt in Christo JESU*: *Novimus* quippe, *iis, qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum*, Rom. VIII, 1. & 28. § 13.

* 13. Quâ ratione vero Actiones malæ in bonum finem tendere valent?

(1.) Quando DEUS peccata permittit eorum, qui præ alijs excellere videntur, aut videri volunt. Hac permissione DEUS admonet peccantes propriæ eorum infirmitatis, ne sibi nimis placeant, aliosque contemnant, quo pertinet *lapsus Petri*, Luc. XXII, 32.

(2.) DEUS malas actiones permittens, interdum ex peccantium damnis alios emendare, & excussâ securitate solitiores reddere intendit, v. c. *Statuâ Uxoris Lothi*, Gen. xix, 26. Luc. xvii, 32. Ita peccata Adami & Evæ, Mosis & Aaron, Davidis & Salomonis, Petri & Judæ &c omnes securos excitare debent, ut quilibet, *qui stat, videat, ne cadat*, juxta monitum Pauli 1. Cor. X, 12.

(3.) Quando DEUS pios ab impijs adfligi permittit,

mittit, eô pſo adflictorum humilitatem, patientiam conſtantiamque in fide exercet, exemplô *Jobc.* I, ſeqq. Davidis in libb. Sam. & aliorum. Conf. Jac. V; 7, & ſeqq.

(4.) Nonnunquam DEUS adflictionem piorum in occaſionem melioris fortunæ convertit, & vel ipſos adfligentes illorum opere juvari & emendari cupit: quod ſuo exemplo teſtatur Joſephus, Gen. L. 20. Fratres, inquit, *vos cogitaſtis de me malum, ſed DEUS vertit illud in bonum ut exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis, & ſalvos faceret multos populos.* §. eod.

*14. Cæterum quærere libet: utrum DEUS ſuô concurſu *tollat* hominum *libertatem* in eorum Actionibus tam bonis, quam malis?

Hoc quidem inde non ſequitur. Generalis enim concurſus DEI non determinat [ſeu non ordinat ad has & illas actiones bonas vel malas] homines ad hoc & hoc agendum, nec etiam agendi neceſſitatem imponit. Similiter etiam τὸ *permittere*, ſeu non impedire actionem, & permiſſam ad certum finem dirigere, non eſt agentem determinare & ordinare ad hoc & hoc agendum. Quod autem actiones ſpirituales ita fiant in homine à DEO, ut homo poſſit DEO repugnare, & facere, quò minus fiant; id diſerte legimus à Chriſto adfirmatum, & exemplo Iſraëlitarum oſtenſum Matth. XXIII, 37. *Jeruſalem, Jeruſalem, trucidatrix eorum, qui ad te miſi ſunt, quoties volui congregare*

liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? §. 14.

15. Quâ ratione se exerit Providentia DEI circa egressum & *terminum vitæ* hominum?

Terminum vitæ humanæ respicit divina Providentia, non solum quatenus de lege communi suum cuique temperamentum [seu naturæ dispositio] confertur, cujus vi homo ad certum vivendi spatium cum generali DEI concursu pertingere potest; Verum etiam quatenus hominibus quibusdam prorogatur vita ultra eum terminum, ad quem illi viribus naturæ suæ erant perventuri. Ordinarium vitæ humanæ spatium memoriæ prodidit regius Psaltes, Psalm. XC, 10. *Dies*, inquit, *annorum nostrorum in iis* (in quibus scilicet vivimus) *sunt septuaginta anni, & si in fortitudinibus* (si pollant virtutes naturæ & numerus annorum invalescat, sunt) octoginta anni. Prorogatæ vitæ manifestum præbet exemplum historia Hiskiæ 2 Reg. xx, 1. seqq. cujus vitæ *diebus DEUS, quindecim annos addidit.* Interim alijs quoque vitæ finis citius imminet, quam secundum naturæ cursum oportebat. Sic *Viri sanguinarij & dolosi, dies suos, ne ad dimidium quidem producturi leguntur* Psalm. LV, v. ult. Quin & David orat DEUM suum, *ne succidat* ipsum *in dimidio dierum* suorum, Psalm. CII, 25. §. 15.

* 16. Quam ob rem verò DEUS *terminum* vitæ *piorum* naturalem *mutat?*

Prolongat DEUS pijs vitam, vel (1.) in præmi-

um

um ipsorum obedientiæ, juxta promissionem quarti præcepti, Exod. xx, 12. Prov. III, 1. IV, 10. ubi etiam *longitudo annorum atque vitæ custodientibus præcepta DEI, & multiplicatio annorum vitæ percipientibus sermones Dei promittuntur.*

Vel (2.) propter utilitatem publicam, quod Paulo contigisse colligitur ex 2. Cor. I, 8. seqq. & Epaphrodito, Philipp. II, 27. 30.

♆ De his Jobus XIV, 5. sic ait: *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te* (DEUS) *est; constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.*

Adbreviat DEUS interdum etiam pijs vitam, (1.) Ne per prava exempla corrumpantur, quo de Auctor libri sapientiæ docet c. IV, 10. *Placens*, inquit, *DEO factus dilectus & vivens inter peccatores, translatus est*, v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.*

(2.) Ne videant calamitates atque angantur. Ita adbreviavit vitam DEUS pij Regis Josiæ dicens ad eum: *Jam colligam te ad Patres tuos, & inferreris in sepulchrum tuum in pace, nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum* (Hierosolymæ) *& super habitatores ejus.* 2. Chronic xxxv, 28. Et Esa. xxvi, 20. sic ait: *Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.* Item Esa. LVII, 1. *Justus perit, & non est, qui recogitet in corde suo, & viri misericordia colliguntur, quia*

non est, qui intelligat : à facie enim malitiæ collectus est justus. §. 16 & 17.

*17. Cur vero DEUS & quomodo *mutat terminum* vitæ *impiorum?*

Abrumpit DEUS justô judicio vitam impiorum propter eorum peccata varia. Variô modo etiam eam abrumpit, imprimis autem

(1.) Quando vel Ipse DEUS morbum lethalem, aut mortem illis infligit, mediante bellô, fame, peste &c. juxta comminationem divinam, Devt. XXIIX, 21. 22. *Adjunget tibi* [nolenti audire vocem Domini DEI] *Dominus pestilentiam, donec consumet te de terra. Percutiet te Dominus egestate, febri & frigore, ardore & æstu, & aëre corruptô, ac rubigine, & persequetur donec pereas.* Confirmant id etiam exempla citâ & inopina morte sublatorum, v. c. *Gerâ* & *Onanis*, Genes. XXXIIX, 7. 10. *Nabalis* 1 Sam. XXV, 38. & *Chananiæ* Pseudoprophetæ, Jerem. XXIIX, 14. 15.

(2.) Quando DEUS infligere jubet mortem impijs, v. g. *Homicidis*, ut *quicunque effuderit sanguinem humanum, illius sanguis effundatur*, Genes. IX, 6. *Magis & Sodomitis, Idololatris & incestuosis*, Exod. XXII, 18. seqq, Levit. XIIX. & XX.

(3.) Quando DEUS patitur, ut impij ipsi sibi, vel per intemperantiam, vel alia crimina, morbos aut mortem violentam contrahant, exemplo Regis Syriæ *Benhadadis*, se ipsum suffocantis, 2. Reg. VIII, 15. *Absaloni* suspensi, 2. Sam. XIIX, 14. *Ahitophelis* se ipsum etiam suspendentis c. XVII. 23. Et quis intempe-

rantiâ, scortatione &c. vitâ privatos recensebit? §. 18.

* 18. Siccine quilibet moriens, certum *moriendi genus* à DEO absolute decretum habet?

Minime: quippe non est absolute necessarium, ut quisque hominum eô tempore ac eo mortis genere, quò moritur, moriatur. Nam DEUS id citra omnem respectum hominum & prævisionem fidei vitæque vel piæ, vel impiæ simpliciter & absolute non decrevit; sed intuitu fidei vitæque hominum. Aliâs enim irritæ forent preces & vota piorum, promissiones & cogitationes divinæ. Interim curiosius scrutari *inscrutabilia DEI judicia* circa terminum vitæ hominum singulorum nobis non licet, juxta illud Joh. XXI, 22. Ubi Christus ad Petrum, de termino vitæ Johannis solicitum, ait: *Si eum velim manere, donec veniam, quid ad te?* Conf. Rom. XI, 33. §. 19.

* 19. Profer *Definitionem* Providentiæ?

Providentia divina, est voluntatis divinæ scientiâ DEI practica directæ, benignum propositum de creaturis omnibus, præcipue hominibus, & in hominum cœtu fidelibus conservandis & gubernandis, ad ipsorum hominum utilitatem & divinæ sapientiæ, potentiæ ac bonitatis gloriam. §. 21.

PARTIS I.

CAP VI.

DE BEATITUDINE ÆTERNA.

QVÆSTIO I.

Quid est Beatitudo æterna?

EST visio illa beatifica, seu cognitio DEI clara & intuitiva, quâ DEum Triunum nobis intime quondam præsentem distincte clare & perfectissime sumus cogniturí, & eo æternum gravisuri. Hinc conjuncta erit visio ista cum ineffabili amore & gaudio inde nascentibus: quandoquidem DEUS cum beatis intime in cœlo unitur ut ipsi divinæ naturæ participes & Angelis atque DEO similes sint juxta dicta seqq.

Matth. V, 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt*, id est habitabunt cum DEO in vita æterna, & perfecte Eum agnoscent ait B. Gerh. in hunc locum.

Luc. xx, 36. Beati *mori non possunt amplius; pares enim Angelis sunt & Filii sunt DEI, quum sint Filii resurrectionis.*

1. Cor. II, 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominum venerunt, quæ paravit DEUS iis, á quibus Ipse diligitur.*

1. Cor. XIII, 12. *Nunc videmus* (DEUM) *per speculum in ænigmate; tunc autem* (in vita æterna) *facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte* (DEUM) *tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.*

2. Petr.

2. Petr. I, 4. *Divina vis maxima illa nobis ac pretiosa promissa donavit, ut per hæc efficeremini divinæ consortes naturæ, elapsi ex corruptione, quæ est in mundo per cupiditatem.*

1. Joh. III, *Nunc filii DEI sumus, & nondum adparuit, quid futuri sumus: Scimus autem, quod si adparuerit, similes Ei erimus, quoniam videbimus Eum* (DEUM) *sicuti est.* Vid. B. Auct. §. 2. 3. 7. 11. & 12.

* 2. Anne etiam ex lumine naturæ constat æternam Beatitudinem *dari?*

Etsi homo in statu præsenti & corruptionis ductu luminis naturæ cognoscere potest post hanc vitam futuram esse aliam ac in ea bonis futurum bene, DEO benefecta remunerante; etsi etiam naturaliter cognoscant beatitudinem animarum in Cognitione DEI & supremi Numinis constitutam: Nihilominus tamen distinctiorem beatitudinis illius & cognitionis DEI claræ notitiam, ductu luminis naturæ consequi non potest; sed ex revelatione divina discere debet. §. 1.

* 3. Quotuplex est visio DEI?

Duplex: alia est in hac vita, *viatorum* & in stadio *currentium* dicta; alia post hanc vitam, & vocatur visio *beatorum*, *comprehensorum* seu beatifica. *Illa* est, quando DEUS ab hominibus, licet satis imperfecte, cognoscitur, vel ex suis operibus creatis, quod videlicet eadem non sint à se ipsis; vel quateus se in aliquo certo opere, v. g. creationis, redemtionis & sanctificationis, manifestavit; vel

denique quatenus alias humana ratio de DEO sibi cogitationes fingit. *Hac*, nempe visio beatorum est, quâ DEUS Trinunus, quoad Essentiam suam, Personas & Adtributa â sanctis hominibus in cœlo perpetim gaudentibus ac DEUM sine fine glorificantibus perfectissime cognoscitur. §. 3.

4. Utrum æterno Beatitudo ad *totum hominem*; an vero saltem ad alterutram tem hominis essentialem pertinet?

Quandoquidem totus homo resurget, sive ad vitam, sive ad mortem æternam juxta Dan. XII, 47. & Joh. V, 25. 29. Idcirco Beatitudo pertinet ad totum omnino hominem. Etenim quod ad *animam* adtinet, *Intellectus* æterna replebitur beatitudine, quando homines beati non solum DEUM & Angelos, sed et suam quisque felicitatem ac beatitudinis suæ socios omnes sanctos perfecte & clare cognoscent. Quemadmodum Apostoli die Transfigurationis Christi tantum æternæ vitæ gustum habentes, agnoverunt, Matth. XVII, 1. & 3. Et quamvis visio DEI inprimis ad intellectum pertineat: necessario tamen *Voluntatem* hominis, ad amorem DEI inteensissimum & charitatem nunquam defecturam trahet. Atque ita fiet, ut homo DEO, tanquam Summo Bono fruatur & ei quam maxime similis fiat, juxta 1. Joh. III, 2. & 2. Pet. I, 4. ut supra dictum. Conf. 1. Joh. IV, 7. & 8. item 1. Cor. XIII, 8. §. 6. - 9. & §. 13.

§. In

5. *In quo* vero Corporum Beatitudo consistet?

Beatitudo corporum Beatorum consistet in primis in eô, quòd eorum corpora futura sint, spiritualia subtilia; agilia, impassibilia, clarificata, & palpabilia, ceu colligere est ex dictis seqq.

1. Cor. XV, 42. 44. *Seminatur* (corpus) *in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in virtute. seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.*

1. Thessal. IV, 17. *Nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur* (in novissimo die) *cum illis* (qui dormierunt) *in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.*

Math. XXII, 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli* DEI *in Cœlo.*

1. Cor. XV, 50. *Caro & sanguis regnum* DEI *possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit.*

Apoc. VII, 15. 16. *Ante thronum* DEI, *servientes Ei die ac nocte non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque ullus æstus.*

Dan. XII. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Matth. XXVII, 52. 53. *Multa corpora sanctorum, qui dormierunt,* (exspirante Jesu) *surrexerunt: Et exeuntes de monumentis post resurrectionem Ejus, venerunt in sanctam civitatem* (Jerusalem) *& adparuerunt multis.*

Luc.

Luc. XXIV, *Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Philip. III, 21. *Jesus Christus reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori suo glorioso.* §. 14. 18.

* 6. Sed quæritur: *An & oculis* nostris corporis sumus in cœlo DEUM *visuri?*

Istud quidem inter Ecclesiæ Patres & Doctores non convenit. Nam licet nonnulli ex 1. Joh. III, 2. beatificam DEI visionem oculis corporis adscribant; quia tamen beati, oculis corporum glorificatis DEUM, tanquam Spiritum infinitum, & ejus Essentiam, vix videre queant: statuunt igitur (Hieronymus, Chrysost. Tertul. Nazianz. Augustin. & alii) DEI naturam oculis corporeis hominum neque in hac vita, neque in futura adtingi posse. B. Balduinus quoque statuit, Essentiam DEI, corporis oculis, licet clarificatis, esse invisibilem. Nam, inquit, inter Essentiam, seu faciem DEI, & inter corporeum oculum, nulla prorsus est proportio. §. 18.

* 7. Eritne vero Beatitudo æterna omnibus Beatis *æqualis* & una?

Beatitudo *essentialiter*, & pro vita æterna generaliter sumta, est una eademque omnium Beatorum: una eademque etiam est, quà animas omnium beatorum. Si vero *accidentaliter*, & ratione corporum beatorum consideratur; hac ratione

ne juxta hæc accidentalia dona beatitudinis, in primis claritatem corporum, *inæqualitas* quædam & gloriæ gradus beatorum deprehendentur. Prout nempe alius præ alio plura virtutum Christianarum specimina in hac vita ediderit. Interim tamen qui minore gloriâ accidentali pollebunt, non ideo minus exsatiati, aut erga alios magis glorificatos invidi futuri sunt; sed suâ quisque sorte minimi maximique contenti. Imò quicquid uni electorum accidit, id tantô gaudio reliquos adficiet, ac si illis ipsis datum foret. Unde non erit invidia disparis claritatis, ubi in omnibus regnabit unitas charitatis. §. 19.

* 8. Unde constat certos & *inæquales gradus* in æterna vita dari?

Dan. XII, 3. *Docti fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

1. Cor. XV, 41. 42. *Alia est claritas solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum, stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.*

Matth XIX, 28. & Luc. XXII, 30. Apostolis peculiaris quidam honor & gloria in die judicii promittitur à Christo, quòd nempe præ aliis *sedebunt super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* §. eod.

9. Quibus autem hominibus Beatitudo æterna dabitur daturque?

Solis in Christum θεάνθρωπον Deumque Trinunum

nunum vere & finaliter credentibus, qui & quà animam & quà corpus sempiternà illa beatitate DEI in æternum fruentur.

Joh. III, 16. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat, vitam æternam.*

Matth. XXIV. 13. *Qui perseveraverit usque ad finem* (in vera fide) *hic salvus erit.*

Apoc. II, 10. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ æternæ. §. 22. 23.

* 10. Quænam est *Descriptio* Beatitudinis æternæ.

Beatitudo æterna est complexus plurium perfectionum supernaturalium àDEO Trinuno ex mera ejus gratia propter meritum Christi fide adprehensum hominibus finaliter credentibus atque ex hac mortali vita defunctis, præcipue ex parte intellectûs & voluntatis simul tamen etiam ipsius corporis obtingentium, quibus Adpetitus humanus plene satiatur, ad DEI Trinunius gloriam æternam. §, 25.

PARTIS I.

CAP. VII.

DE MORTE seu DAMNATIONE ÆTERNA.

QUÆST. I.

Quid credendum de Morte seu damnatione æterna?

MOrtem & Damnationem æternam, credo dari, talemque esse Statum malorum Angelorum

rum & post mortem omnium impiorum irresipiscentium hominum in quo est ineffabilis quædam & perpetua carentia omnium bonorum, quæ ad Beatorum felicitatem pertinent, inexplicabiles adversitates & cruciatus conjuncti cum acutissimo infinitorum malorum sensu, quà impiorum animas & corpora eò, vi justitia divinæ condemnata. Vid. B. Auct. §. 1.16. & 19.

2. Quibus Scripturæ Sacræ fundamentis probatur dari mortem æternam?

Dan. XII, 2. *Evigilabunt alii ad vitam æternam; alii in obprobrium.*

Matth. XXV, 41. *Tunc* (in extremo die) *dicet Rex his, qui à sinistris erunt* (impiis) *Discedite omnes à me maledicti in supplicium æternum, & in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo & Angelis ejus.*

Rom. II. 6. 8. & 9. *DEUS reddet unicuique secundùm* (non autem propter) *opera ejus: Iis quidem, qui sunt ex contentione, & qui non adquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, & tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantem malum.*

Apoc. XXI, 8. Serviliter *timidis & incredulis & execratis & homicidis & fornicatoribus & veneficis & idololatris & omnibus mendatibus pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* §. 16. & 19.

3. Qui-

* 3. Quinam sunt *cruciatus* post mortem impiorum, quâ eorum *Spiritus* & animas?

Damnati carebunt in primis ex parte *Intellectûs* visione DEI beatifica, neque donabuntur lumine gloriæ gratiæve beatis divinitus collatô, juxta citata loca, & Joh. III, 26. *Qui credit in Filium habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.*

Psalm. XLIX, 20. *Anima divitis impii, introibit usque in progenies patrum suorum & usque in æternum non videbit lumen.*

Matth. VIII, 12. *Filii regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.*

c. XXII, 13. *Ligatis manibus & pedibus ejus* (non habentis scilicet vestes nuptiales) *mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* §. 2. & 3.

* 4. Qualem autem *Damnati* habebunt in Inferno *Cognitionem*?

Damnati cognoscent (1.) ex suis cruciatibus & pœnis DEUM, *partim* ut Dominum summæ Majestatis, sed â se gravissime offensum; *partim* vel judicem justum, sed hoc ipso suorum peccatorum vindicem acerrimum; *partim* ut Patrem benignissimum; verùm non sibi; sed aliis qui crediderunt & beati facti sunt.

(2.) Cognoscent damnati & contemplabuntur se ipsos, ita tamen, ut peccatorum suorum multitudi-

tudinem ac gravitatem,& pœnarum, quibus adfliguntur,meritum,acerbitatem & perennitatem animô reputent.

(3)Cognoscent damnati etiam alios, & in primis beatos,spectantes eos tanquam participes ejus felicitatis, quâ ipsi destituuntur, & expertes sunt calamitatum, quibus damnati premuntur. Hinc tandem suam adcusant stultitiam Sap. V.3-7. *Dicentes intra se,pœnitentiam agentes & præ angustia Spiritûs gementes: Hi sunt,quos habuimus aliquando in derisu,& in similitudinem improperij! Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam,& finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter Filios DEI, & inter Sanctos Sors illorum est. Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* &c.§.5,6.&7.

*5. Suntne vero certi *cruciatus* Damnatorum etiam quà eorum *voluntatem?*

Sunt maxime: Voluntas quippe est pars animæ seu potius certa facultas. Hinc etiam amor DEI, tanquam Summi Boni cogniti, & Gaudium inde resultans à voluntate damnatorum planè sunt abfutura. Præterea erit in Voluntate Damnatorum, *odium DEI* tanquam sibi infensi &implacabilis; *odium* etiam *sui ipsorum*, quandoquidem sibi ipsis causa miseriæ fuerunt. Erit etiam *Invidia*,ex adspectu alienæ beatitudinis resultans. Erit etiam *dolor* & *tristitia* atque anxietas propter ingentem malorum præsentium cumulum. Et denique erit etiam apud damnatos *impatientia* & *desperatio*

tio perpetua. Conf. sup. Sap. V. 3-7. & Apoc. VI, 16. 17. Impij, inquit Johannes, in extremo die *dixerunt montibus & petris : cadite in nos, occultate nos à conspectu ejus, qui insidet throno, & ab ira Agni. Nam veniet dies ille magnus illius iræ : & quis poterit stare?* Hinc DEO irascentur Eumque blasphemabunt ob magnitudinem dolorum & pœnarum, quas ab ipso sibi inflictas esse sentient. Irascentur omnibus creaturis, quôd omni earum solatio destituti in æternis tenebris maneant. Sibi ipsis mortem & exitium optabunt, ob tormentorum atrocitatem ac dolorum acerbitatem : cum aliàs Natura à morte abhorreat, ac sui conservationem quærat, inquit B. Gerh. L. de Infer. §. 52, p. 617. B. Auct §, 8.

* 6. Ergone tanta erit damnatorum *perversitas?*

Ita profectò : Nam licet Intellectus eorum interdum etiam circa bonum, & summum hominum Bonum, nempe DEUM, versetur, pensitando Ejus præteritam bonitatem, longanimitatem itemque justitiam ; *Voluntas* tamen eorum à DEO planè aversa, solùm ad malum erit estque proclivis : ut quidquid agant, id DEO displiceat, atque sic & cogitationibns, & dictis & factis indesinenter peccent. §, 9,

* 7, Suntne etiam certi *cruciatus* impiorum quà eorum *sensus?*

Sane non est improbabile sensuum organa sensusque etiam ipsos damnatorum peculiaribus pœ-

nis

nis cruciatum iri. Nimirum credibile est, quâ *Visum* horrenda Dæmonum in certa specie adparentium spectacula, damnatorum quòque horribilem adspectum ; quoad *Auditum* gemitus proprios ac sociorum damnatorum plorantium & dentibus stridentium ; quoad *Gustum*, sapores fœdos ac sitim ; quoad *Olfactum*, fœtorem ignis sulphurei ; quoad *Tactum*, ignis inextingvibilis & immanè quantum urentis intolerabilem sensum, locum habere Theologi docent; Alij tamen ea, quæ in hanc rem ex Scripturis adferuntur, metaphoricè ac parabolicè accipiunt de doloribus gravissimis, per ea, quæ homini in hac vita accidere possunt acerbissima, depictis. §. 11.

* 8. Sed quid de *corporis cruciatibus* æternis sentiendum, anne & hi futuri?

Stante verisimâ, de damnatorum corporum futura resurrectione, sententiâ, & Christi veritate, Matth. X, 28. ubi dicuntur *corpora perdi in gehenna*; Corpora damnatorum omnino cruciabantur, & quidem igne infernali vero ac proprie dicto & inextingvibili. Nam Esaias ait *Vermem cadaverum virorum, qui prævaricati sunt in DEUM, non morituram, & ignem eorum non extincturum*, cap. LXVI, ult. Et Matth. XXV, 41. Christus dicet ijs, *qui a sinistris erunt: Discedite à me omnes maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*.

Apoc. XXI, 8. *Timidis, & incredulis & execratoribus*, &c. ut sup. conf. Matth. III, 12. Marc IX, 47. Distinctius autem hujus ignis naturam exponere

velle, magis est curiosum, quam utile. Inquiramus contra & demus operam sedulò, quî eundem ignem vitemus ac non ipsi experiamur. §. 10.

* 9. Annon vero certi *gradus* pœnarum infernalium dabuntur ?

Equidem negari non potest, certos quosdam pœnarum infernalium Gradus fore : quod patet dictis Salvatoris nostri seqq,

Matth, X, 15. *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati* (quæ scilicet non receperit Christi Discipulos) c.XI, 22. *Dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis*, (i e. Civitatibus Chorazin, Bethsaida, Capernaum &c.) Conf. Luc. X, 12. Distinctius autem Gradus illos definire, pro diversitate quorumvis subjectorum, non est æque facile. Probabile tamen est, *conscientiæ morsus* vehementiores in illis fore deprehendendos, qui sæpius graviusque contra conscientiàm peccarunt : intensiores etiam quoad *corpus* dolores illis inflictum iri, qui corpore suô in hac vita ad exercenda peecata magis operosi fuerunt. §. 12.

10. Quis autem *cruciatuum* damnatorum est *Locus ?*

Ubi & qualis & propriè sit hic locus, non saltē inutiliter curiosum; sed maxime temerarium est quærere. *Ne quæramus UBI sit ? sed quomodo illum fugiamus*, inquit D. Chrysost. Homil. 32. ad Rom. Tom 4. c. 316, D. Scriptura Sacra vero hunc locum

cum nomine carceris, inferni, ignis gehennæ æterni, itemque stagni ignis ardentis sulphure descripsit:

Matth. V, 25. *Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, & Judex tradat te ministro & in carcerem mittaris.*

XI, 23. *Et tu Capernaum, nunquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum deprimeris.*

c. XIIX, 8. *Si manus tua, vel pedes scandalizat te, abscide eam, & projice abs te: bonum est tibi ad vitam ingredi mancum aut claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum,*

V. 9. *Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi est unum oculum habentem in vitam intrare æternam, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.*

Luc. XVIx, 22. & 23. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham longe, & Lazarum in sinu ejus.* Conf Luc. Xll, §8.

Apoc. xix, 20. *Et adprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta ille, qui ediderat signa in ejus conspectu, quibus seduxit eos, qui acceperant characterem bestiæ, & qui adoraverant imaginem ejus: & vivi conjecti sunt ambo in stagnum ignis ardentis sulphure.* §, 18.

II. *Quamdiu* vero sunt cruciatus damnatorum duraturi?

Æternas fore damnatorum omnium perpetuo

in inferno superstitum pœnas & cruciatus, certissimum est ex Sacro Codice: præsertim Dan. XII, 2. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium sempiternum.*

Matth. XXV, 46. *Impii ibunt in supplicium æternum justi autem in vitam æternam.*

2. Thessal. I. 9. *Non obedientes Evangelio Domini nostri Jesu Christi, dabunt pœnas in interitu æternas a facie Domini & a gloria virtutis ejus.* Conf. Judæ v. 6. & 13. §. 19.

12. Ast quis horum *cruciatuum* infernalium est Auctor?

Si cruciatus & damnatio impiorum prô pœna eorum accipiatur, dici omnino poterit, quod Deus trinunus, Christusque Θεάνθρωπος, motus, tam damnatorum peccatis non expiatis (in primis quidem scienter & volenter factis, maximè vero incredulitate) quàm justitiâ suâ vindicativa, ejusdem justitiæ, veritatis & potentiæ divinæ testandæ gratiâ, sit horum malorum Auctor. Interim Satan & impij damnati etiam sunt hujus mali Auctores, quatenus videlicet id sibi promeruére. Si vero considerentur cruciatus isti ratione spirituum & corporum damnatorum; ita adhuc plures auctores erunt. Tot quippe sunt cruciatuum auctores, quot hominum non retractata peccata. §. 13. 14. 15. & 20.

13. Ergone *DEUS* etiam *Inferni Auctor* est?

DEUS quidem non est absolute & sine ulla ratione

ratione inferni Auctor, neque quatenus est damnatio & ipsa perditio, quæ unicè ex Israel est, juxta Oseæ XIII, 9. *Perditio tua* ex te, *Israël*; *tantum modo in me auxilium tuum.* Neque quatenus & medium huc ducens peccatum est : hoc quippe DEUS odit. Psalm. V, 5. *Non enim volens Deus iniquitatem est.* It. Jac. I, 13. *Nemo cum tentatur dicat, quod à Domino tentetur, Deus enim non tentator malorum est : nam ipse neminem tentat.*

At triplici ratione aliâ censeri potest esse DEUM inferni auctorem, nimirum :

(1.) Quia locum inferni paravit, ceu videre est Matth. XXV, 41. Ubi ait : *Discedite à me omnes maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.*

(2.) Quia DEUS impios inferno adjudicat Marc. III, 29. *Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Conf. Joh. III, 36. ut sup.

(3.) Quia Ipse pœnas istas horrendas quidem, sed justissimas infligit. Nam Petrus ait : 2. Petr. II, 4. DEUS *Angelis peccantibus non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit damnationi servatos.* Conf. Epist. Judæ v 6 §. 13.

*14. *Definias* velim, Damnationis æternæ Statum ?

Status Damnationis est complexus plurium, malorum, quæ DEUS Trinunus vi justitiæ suæ vindicativæ hominibus impiis & finaliter incredulis ex parte animæ & corporis propter peccata atque incredulitatem ipsorum in inferno infligit æternum

toleranda, ad justitiæ, veracitatis & potentiæ divinæ gloriam. §. 21.

PARTIS I.

CAP. VIII.

DE MORTE TEMPORALI

QUÆSTIO I.

Quid est mors temporalis?

MOrs temporalis est privatio vitæ hominum naturalis, ex dissolutione animæ & corporis proveniens. Vid. B. Auct. §. 2.

2. Quis est hujus *mortis Auctor?*

Trinunus DEUS, qui est ipsa mera vita, nolens mortem hominis peccatoris, mortis Auctor *proprie* non est. *Improprie* vero dici posset, quatenus videlicet, ut justus Judex primis Parentibus propter neglectum præceptum suum, mortalitatis donum abstulit. Severissimè namque DEUS Adamo comminatus est Genes. II, 17. De *ligno*, inquiens, *Scientiæ Boni & mali non comedes. In quacunque enim die commederis ex eo, morte morieris.* Quia ergo Protoplasti advetitum hunc esum à Diabolo seducti, in statu quidem integritatis, nonmortales, post perpetratum autem peccatum, seu in statu lapsus, mortales, una cum omnibus suis posteris facti sunt: merito igitur inter certas causas mortis primò numerandus est Diabolus, quatenus suasione sua ad peccatum Evam induxit, & sic mortis

tis reatum Protoplastis & omnibus peccati sociis adtraxit. §. 3. 41 & 6.

3. Num etiam *Protoplasti* nostri, *mortis* sunt *Auctores* & causæ?

Ita sane. Protoplasti quippe non tantum suæ ipsorum, sed & posterorum mortis *causa* recte dicuntur. *Eva* quidem, quatenus non solum ipsa Dæmoni suadenti obediens peccavit; verùm etiam Adamum ad societatem peccati pellexit, adeoque sibi & Adamo mortis reatum adtraxit. Adam vero Uxori auscultans & legem DEI violans, cum ipse necessitatem moriendi subiit, tum omnibus secundùm naturam ex se descensuris, sicuti peccati, ita & mortis causa fuit. §. 5.

* 4. Quid vero impulit DEUM ad mortem in mundum introducendam?

Ex parte Satanæ ejus summum erga DEUM atque homines odium. Etenim egerrimè is tulit se propter horribilem suum lapsum & contra DEUM peccatum è sedibus cœlestibus ejectum. Ægre etiam tulit, creaturam, quæ donô immortalitatis, in laudem Creatoris suamque beatitudinem, erat prædita, intueri Auctor libri.

Sap. II. 24. ait: *quoniam* DEUS *creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecerit illum: Invidiâ Diaboli mortem introiviſſe in orbem terrarum.* Ex parte vero DEI intra ejus essentiam Eum impulit justitia ejus vindicativa, extrinsece autem lapsus Protoplastorum. §. 7.

5. Quibus Scripturæ dictis mortem *dari* evinces?

DEUS præcepit Adamo, ne ex arbore scientiæ boni & mali comedat, *in quacumque*, inquit, *die comederis ex ea, morte morieris*, Genes, II, 17. Et Sap. I, 13. & 16. *DEUS mortem non fecit, nec lætatur in perditione Virorum: Impii autem manibus & verbis adcerseverunt eam, & æstimantes illam amicam defluxerunt & sponsiones posuerunt ad illam.*

Prov. XVIII, 21. *Mors & vita in manu linguæ.* Rom. VI. 23. *Stipendium peccati est mors.* Conf. plura passim.

* 6. Quomodo porro *naturali ordine* Mors ipsa conciliatur?

Naturalis causa mortis est humidi radicalis absumtio & calidi nativi extinctio, ex qualitatibus primis paulatim in se invicem agentibus proveniens. Nimirum quando vigor caloris nativi, qui inde à lapsu Protoplastorum nutrimentum non satis purum habet, sensim langueścit, atque adsumtum alimentum minus feliciter convertit; adeoque, deficiente pabulo idoneo, calor ille nativus aut flamma vitalis magis magisque debilitatur, ac tandem penitus extinguitur. §. 10.

* 7. Quomodo vero *præternaturali* ordine, vel etiam violento modo Mors conscíscitur?

Ad causas prænaturales pertinent: (1.) Morbi vehe-

vehementiores (ex neglecta diæta, intememperato victu, potu, aëre, somno, vigiliis, motu, quiete &c. orti) quibus itidem calor nativus cum humido radiciali extinguitur, sed præter naturam; nempe per febres, hydropen, phtisin pestem &c. (2.) Ad præternaturales & violentas causas referuntur res externæ (v. g. telum mortiferum, ensis, ignis, aquæ &c.) quibus corpori, vel parti corporis nobiliori, aut ad vitam simpliciter necessariæ, vis ejusmodi infertur, quâ nutritii sanguinis & Spirituum generatio ac distributio impediatur aut tollatur. §. 11. &12.

8. Ast quis temporali est obnoxius?

Omnes homines, non solum primi post lapsum sed & reliqui per carnalem generationem propagati. Etenim gentium Apostolus diserte docet, Rom. V. 12. *sicut*, inquit, *per unum hominem peccatum in mundum intravit, ac per peccatum mors ita in omnes homines mors pervasit, in quo omnes peccaverunt.* Idem ad Ebr. IX, 27. *Statutum* est, inquit, *omnibus hominibus semel mori.* §. 13.

* 9. Cur autem & in quem finem est Mors in mundum introducta?

Causa finalis mortis ex parte Satanæ est expletio odii erga DEUM atque homines. Ex parte DEI vero finis mortis per se spectatæ, est peccatorum vindicatio adeoque & justitiæ divinæ declaratio. §. 14.

10. Quis

10. Quis tandem est status animarum humanarum post mortem temporalem?

Piorum animæ statim, postquam à corporibus sunt separatæ, *essentialem beatitudinem* ac omnibus beatis communem consequuntur. Atque hinc etiam Paulus desiderans talem vitam ait:

Philip. I, 21. & 23. *Mihi vivere, Christus est; & mori lucrum. Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multò magis melius.* Adeoque gestit animo, ut eo citius sit in Regno CHRISTI glorioso. Sic & CHRISTUS latroni dixit pœnitenti: *Hodie mecum eris in paradiso*, i. e. simul ac vitam cum morte commutaris, subitò demum gloria cœlesti mecum frueris, Luc. XXIII, 43. *Impiorum* animæ damnationē suam in inferno protinus post solutionem à corpore subibunt, ac à facie DEI rejectæ inexplicabilibus pœnis adfligentur. Non autem *Purgatorio*, quod solum modo sine omni fundamento, contra scripturam sacram cànonicam & contra Christi meritum, *Missis* pro animabus in purgatorio se purgantibus, extenuandum, fingitur: cum medius Status inter vitam & damnationem æternam non detur. §. 16.

11. Denique quid cum corporibus exanimatis demortuorum faciendum?

Corpora hominum proborum exanimata, non in aquam aut ignem mittenda, nedum à bestiis aut hominibus absumenda; sed in terram, vel certos fornices cum honore absque, tamen luxu immoderato

derato & superstitiosis ritibus, recondenda sunt ut ibidem in cineres resolvantur. Quodsi vero mortuorum antegressu delicta fuerint atrocia, eorum corpora haud immerito pœnæ locô vel inhumata reliquuntur vel saltem absque honore stato sepeliuntur. Unde inhumata impiorum corpora dicuntur habuisse *Asini sepulturam*, Jerem. XXII, 18. §. 17.

* 12. Quænam est *Definito* Mortis temporalis?

Mors temporalis est privatio vitæ animalis, ex dissolutione animæ & corporis per peccatum primorum Parentum, Satanâ hostiliter instigante, patratum, justô DEI judicio proveniens omnibusque hominibus ex naturæ necessitate subeunda, ad justitiæ divinæ gloriam. §. 18.

PARTIS I.

CAP. IX.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

QUÆST. I.

Quid vocatur Resurrectio mortuorum, & in quo illa consistit?

REsurrectio mortuorum consistit in hoc, quod corpus per mortem destructum, ex pulvere terræ in quem conversum fuit, reproducetur & animæ redunietur seu resurget: atque ita una cum anima perveniet

perveniet vel ad beatitudinem, vel ad damnationem æternam justissime à DEO destinatam. Vid. B. Auct. §. 2.

2. Quibus Scripturæ fundamentis probas resurrectionem mortuorum futuram?

Hac de re nos in dubiè certissimos reddit patientissimus Jobus, quando Resurrectionem mortuorum firmissimè credens ita profitetur: cap. XIX, 25. & 26. *Scio, quod Redemtor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM meum*, Propheta Esaias sic quoque DEUM adloquitur: *Vivent mortui tui, & cum corporibus suis resurgent*, cap. XXVI, 19.

Ezech. XXXVII, 12. *Hæc dicit Dominus DEUS: Ecce ego adperiam tumulos vestros & educam vos de sepulchro & dabo vobis Spiritum virentem.*

Dan. XII, 2. *Multi* (i. e. omnes homines) *de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam; alii in obprobrium æternum.*

Joh. V. 28. & 29. *Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii DEI & prodibunt, qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitæ, qui vero mala fecerunt, ad resurrectionem judicii.* Conf. XI, 23. 1. Cor. XV. 12. seqq. Thess. IV, 15. 16. & 17. *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt: Quoniam ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli & in tuba DEI descendet*

descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëre: & sic semper cum Domino erimus. §. 1.

3. Num ergo *omnes* homines sunt resurrecturi?

Omnino homines mortui omnes, non solum pii & fideles: sed & impii atque infideles, & quidem secundum illa ipsa corpora, secundum quæ quisque dormivit in monumento, seu mortuus fuit, in die Pantocritico & extremo resurgent. Illi vero, qui vivi deprenduntur in die ultimo, proprie loquendo non resurgent, cum per mortem non cadent, sed tantum immutabuntur ac mortalem corporis conditionem deponent, juxta locum 1. Thess. jam adlatum. §. 6.

* 4. Ast quid de illis statuendum, qui vel cum Christo resurgente resurrexere; vel à Prophetis in Veteri Testamento; vel denique à Christo & Apostolis in Novo Testamento resuscitati fuere; anne etiam illi in Pantocritico die sunt resurrecturi?

Ii, qui cum resurgente Christô resurrexisse leguntur Matth. XXVII, 5. vel 53. (*Et monumenta aperta sunt* (exspirante Christo in cruce) *& multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt; Et exeuntes de monumentis post resurrectionem*

nem ejus venerunt in sanctam civitate (Jerusalem) *& adparuerunt multis* :) Ii, inquam, cum Christo quoque in cœlos adscendisse creduntur. Proinde Resurrectio eorum est extraordinaria. Qui vero in Veteri Testamento à Prophetis, & in Novo Testamento à Christo ante passionem ejus, & ab Apostolis post Adscensionem Christi è mortuis ad vitam naturalem resuscitati fuerunt; eos iterum mortuos, adeoque in resurrectione ultima demum ad vitam immortalem resuscitandos esse recte statuitur. §. 6.

5. Quis erit resurrectionis mortuorum Auctor?

DEUS Trinunus, & Christus θεάνθρωπος. Hic quippe motus justitiâ sua divina, & speciatim respectu piorum, justitiâ remunerativa, meritoque Christi fide finali adprehenso; Respectu vero impiorum justitiâ vindicativa & finali impœnitentia, inquam, motus, hanc resurrectionem instituet: Quod scilicet fidelium beatitudinis plena participatio; infidelium autem damnationis consummatio & denique gloria; justitiæ divinæ remuneratoriæ vel vindicativæ sequatur. §. 3. 4. 5. & 8.

* 6. Quomodo Resurrectio mortuorum à B. Auctore *describitur?*

Resurrectio mortuorum, est opus DEI Trinunus Christique θεανθρώπου, ex justitia divina remuneratoria & vindicativa proficiscens, quô homines omnes & fideles quidem seu pii propter meritum Christi, fide finali adprehensum; Infideles autem

& im-

& impij propter peccata sua, eadem numerô corpora, quæ in hac vita habuerunt, animabus suis redunita accipient. *Illi* ad plenam beatitudinis; *hi* vero ad consummatam damnationis æternæ participationem: utrique vero ad DEI & justitiæ divinæ gloriam. §. 9.

PARTIS I.

CAP. X.

DE

JUDICIO EXTREMO, & CONSUMMATIONE SECULI.

QVÆSTIO I.

Quid intelligis nomine Judicij extremi?

QVando Filius hominis JESUS CHRISTUS, in adsumta natura humana, in forma visibili rediturus, omnes homines, inde usque ab Adamo ad ultimum, vivos ac mortuos, pios & impios, quin & omnes Angelos malos, cum gloria ac majestate summa ad tribunal suum coget, & eos de omnibus eorum cogitatis, dictis & factis, solenniter ac justissime judicabit. Vid. B. Auct. §. 5. 12. & 18.

2. Credisne tale Judicium extremum futurum?

Futurum esse solenne judicium quoddam, clarissimum est ex Scripturis. Certum etiam est, unô

& eodem die simul & judicium extremum & resurrectionem mortuorum fore. Quando autem dies ille venturus sit, distinctè à nobis DEUS præscire noluit. Nam juxta Marc. XIII, 32. *De die illo, & hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* §. 6.

3. Confirma, quæso, Scripturæ Canonicæ testimonijs tale judicium futurum?

Istud sane indubitatis Veteris & Novi Instrumenti argumentis probari confirmarique potest; Nimirum Psalm. IX, 9. *DEUS paravit ad judicium thronum suum & ipse judicabit orbem terræ in æquitate.*

Eccles. XII, 24. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Dominus in judicium, etiam occulta, sive bona sive mala sint.*

Matth. XXV, 31. *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo: tunc sedebit super sedem majestatis suæ.*

v. 32. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem sicut Pastor segregat oves ab hœdis.*

v. 33. *Et statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.*

v. 34. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.*

v. 35. *His vero, qui a sinistris erunt, dicet: discedite*

dite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Conf. Act. X, 42. XVII, 31. Rom. XIV, 10. 2. Thess. I, 6. 2. Petr. II, 4. Judæ v. 6. Ebr IX, 27. §, 2. & 12.

* 4. Annon quædam supersunt *Signa* Judicium extremum præcedentia?

Signa quædam omnino non desunt, quibus DEUS judicium adpropinquans quodammodô cognoscendum exhibet, & nos de ipso judicio secuturo per ea admonet; ea tamen tempus judicij determinatum non significant, sed tantum id magis magisque adpropinquare docent: prout nimirum ex ramis tenerioribus enatis æstatem adpropinquare cognoscitur, juxta Luc. XXI, 25. & 30. *Erunt signa in Sole & Luna, & Stellis, & in terris anxietas gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum.* Conf. Matth. XXIV, 29. seqq. Marc. XIII, 24. & seq. §. 3.

* 5. Quomodo signa judicij extremi dividuntur?

Plerumque dividuntur in *communia* & *propria*; seu *remota* & *propinqua*. §. eod.

* 6. Quæ vocantur signa communia?

Quæ non unô contingunt seculo, sed sæpe recurrunt aut continuantur, v. g. *Hæreses, bella, fames, pestis*, & similes calamitates publicæ, itemque securitas hominum antediluvianæ instar, ut videre est Matth. XXIV, 37, seqq. ubi Christus ait: *Sicut in diebus Noë, ita erit & adventus Filii hominis. Sicut*

enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quô intravit Noë in Arcam. Et non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes: Ita erit & adventus Filij hominis. Hæc signa, licet non videantur significare tempus judicij, tamen ex instituto & intentione DEI significant, & Christianos monere debent, quod judicium aliquod solenne vi justitiæ divinæ ac veritate prædictionum, sit exspectandum. §. eod.

* 7. Quæ vocantur Signa *Propria?*

Quæ propius demum accedente judiciô, non autem æque prioribus seculis conspicienda sunt, v. g. revelatio Antichristi, singulares siderum eclipses casusque eorum in terram, item notabilis, ampla & insignis, non tamen omnino Universalis, Judæorum conversio ad Christianam fidem. Quæ omnia constant ex dictis sequentibus: 2. Thessal. II, 3. & 4. *Ne quis vos seducat unô modo, quoniam nisi venerit discessio primum & revelatus fuerit homo peccati, Filius perditionis: Qui adversatur & extollitur super omne, quod dicitur DEUS, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit DEUS.*

Matth. XXIV, 29. *Statim post tribulationem dierum illorum, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur.*

Rom. XI, 21. *Cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret: Et sic omnis Israël salvus fieret.*

Pro-

Propriorum signorum ea etiam est differentia, ut aliqua longiore intervallô; aliqua breviore antecedant judicium, ac proinde nec hæc certum tempus determinate significent. §. eod.

* 8. Quid autem de *Signo Filij hominis* sentis?

De hoc Signo quidem Christus Matth. xxiv. 30. sic docet: *Tunc* [nimirum stellis è cœlo cadentibus &c.] *adparebit signum Filii hominis in cœlo.* Quale vero id futurum sit, difficile est exponere. Probabilior tamen reliquis est sententia, quæ docet signum illud constiturum in fulgore ipsius corporis Christi, splendore nubium & comitatu Angelico juxta Matth. xxv, 31. *Cum venerit Filius hominis in gloria sua & omnes Angeli cum eo; tunc sedebit super sedem majestatis suæ.*

Marc. xiii. 26. *Tunc* (nempe stellis de cœlo decidentibus) *videbunt Filium hominis venientem in nubibus, cum virtute multa & gloria.* §. 4.

9. Sed quis proprie *Judex* in hoc Judicio futurus?

Licet quidem recte dicatur, tota Sacro-Sancta Trinitas invisibiliter scilicet; visibilis autem Judex erit Christus ipse, qui in adsumta humanitate gloriosè adparens ac velut pro tribunali sedens omnibus conspicuus auctoritate divina sententiam feret. ceu videre est nunc locô citat. Matthæi. Et Joh. V, 22. *Pater non judicat quenquam; sed omne judicium dedit Filio.*

Act. XVII, 31. DEUS *statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in Viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Conf. c. X, 42. 1. Pet. IV, 5. §. 5.

10. Quinam erunt hujus *Judicii Adsessores?*

Angeli boni & homines sancti: qui partim Adsessores; partim Ministri; partim denique, (præsertim homines,) testes & comprobatores Judicij Christi, dici queunt: prout Apostoli dicuntur judicaturi duodecim tribus Israël, Matth. XIX, 28. Jesus ait ad Discipulos suos: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ sedebitis & vos super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* Conf. cap. XXV, 31. & Luc. XXII, 30.

1. Cor, VI, 2. & 3. *An nescitis, quoniam Sancti de mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis. Nescitis, quoniam Angelos judicabimus; quanto magis secularia?* §. 8.

* 11. Ast quodnam in specie erit Bonorum Angelorum in extremo judicio munus?

Angelorum istorum munus erit, non solum Christum ad judicium accedentem comitari, & sonô ingenti excitato manifestare ejus adventum; verum etiam homines, cum è morte resuscitatos,

tum

tum vivos deprehensos, ex omnibus mundi partibus congregare, deindeque pios ab impijs segregare, *illis* ad dextram, *his* ad sinistram collocatis: Denique damnatos ad infernum detrudere.

Matth. XIII, 41. 42. 49. & 50. *In consummatione seculi, mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem. Et separabunt malos de medio justorum: Et mittent illos in caminum ignis.*

c. XXIV, 31. *Filius hominis mittet Angelos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Conf. cap. XXV, 31.

1. Thessal. IV, 16. *Ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli & in tuba DEI descendet de cœlo,* &c. §. 9.

* 12. Quâ porro ratione hoc Judicium instituetur?

Christus Judex vivorum & mortuorum exercebit judicium hoc ita, ut cuique *juxta*, non autem *propter opera* reddat & fidei aut incredulitatis testimonia luculenta impertiatur, teste Paulo Rom. II, 6. & seqq. *Iis quidem*, inquit, *qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Iis autem, qui sunt contentiosi, & qui non adquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & in omnem animam hominis operantis*

rantis malum. Conf. Matth. XXV, 35. 36. 42. & 43. Apoc. XX, 12. &. 13. §. 13.

13. Ergone *omnes homines* judicabuntur?

Ad hoc judicium pertinent omnes omnino homines, cum pii, tum impii, cum quos dies extremus vivos inveniet, tum mortui eô die prius resuscitandi. Imò & Angeli mali ad hoc judicium pertinent judicandi, ceu patet ex Esa. LXVI. 15. & 16. *Ecce Dominus veniet in igne, & quasi turbo quadriga ejus, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis. Quia in igne Dominus dijudicabit & in gladio suo omnem carnem & multiplicabuntur interfecti à Domino.*

Matth. XXV, 32. *Et congregabuntur ante eum* (nempe Filium hominis) *omnes gentes & separabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab hœdis.*

Act. X, 42, *Christus constitutus à DEO Judex vivorum & mortuorum.* Conf. 2. Tim. IV, 1.

Rom. XIV. 10. *Omnes stabuemur ante tribunal Christi.*

2. Cor. V. 10. *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut unicuique reddatur, quod egit in corpore sive bonum sive malum.*

1. Thess. IV, 15. 16. 17. *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus, in jussu & in voce Archangeli, & in tuba DEI descendet de cœlo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relin-*

linquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.

Judæ v. 14. & 15. *Ecce venit* Dominus *in sanctis millibus suis, Facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra* DEUM *peccatores impii. &c.* §. 12.

* 14. Quomodo judicium extremum dividitur?

In Judicium *Discussionis* & *Retributionis*. *Illud* erit, quô omnium opera occulta pariter & manifesta in lucem protrahentur: in primis, ut quilibet, quæ ad se pertinent, & ad suam salutem aut damnationem spectant satis intelligat. Piorum bona opera protrahentur ad manifestandam eorum fidem, & quantum interfit inter eos, & infideles. Impiorum autem mala opera recensebuntur ad pudorem ipsorum, & ut constet, eos justè puniri.

Hoc, seu judicium *Retributionis* consistet in pronunciatione sententiæ, quæ cujusque causæ conveniet, & per quam alii ad vitam, alii ad damnationem æternam ablegabuntur, ubi statim sequetur sententiæ latæ executio. §. 14. 15. & 16.

15. Quare autem Judicium Extremum instituetur?

Novissimum judicium istud instituetur, *ut unus*

quisque referat, quæ in corpore suo fecit sive bonum sive malum. 2. Cor. V, 10. atque sic justitia DEI in glorificandis electis & judicandis impiis celebretur, juxta 2. Thess. I, 5. Adeoque propter hanc imprimis sapientiæ DEI, ejusque potentiæ, bonitatis ac justitiæ vindicativæ glorlam judicium istud quondam instituetur. §. 17.

* 16. *Descriptionem* Novissimi judicii, velim, tandem adferas?

Judicium extremum est Actus solennis Christi in adsumta narura humana adparentis, quô Is auctoritate & Potentia divina, & propter justitiam divinam remuneratoriam & vindicativam, homines omnes, Angelosque malos, mediante bonorum Angelorum operâ, ad tribunal coget, & causâ cujusque discussa habitâque ratione fidei finalis, ex operibus ipsorum adparentium, piis & fidelibus plenam beatitudinem, infidelibus autem & imptis hominibus ac dæmonibus, consummatam miseriam, adprobantibus sanctis hominibus, adsignabit, & conferet, ad sapientiæ, potentiæ, bonitatis & justitiæ suæ gloriam. §. 18.

7. Quid porro de *Consummatione* Mundi in sacris docetur?

Quod peractò judicio extremo, statim sequetur mundi consummatio, quâ cœlum & terra, itemque cœtera elementa & corpora ex elementis composita, quoad substantiam suam mediante igne peribunt. §. 19.

18. Qui-

18. Quibus Scripturæ argumentis probas' consummationem mundi futuram?

Psalm. CII, 26. & 27. *Tu Domine, initiò terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.*

2. Pet. III, 7. *Qui nunc sunt cæli ac terra, adservabuntur igni in diem damnationis & exitii impiorum hominum.*

v. 10. *In die illo Domini, qui veniet ut fur, præteribunt cœli crm stridore: elementa vero omnia æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur.*

* De natura vero hujus ignis curiosè magis, quàm utiliter, disputatur, Sic quoque per *cœlum novum & terram novam* 2. Pet. III, 13. & Apoc. XXI, 1. seq. non Chiliasticum regnum Chiliastarum; sed piorum in æterna vita gloriosa habitatio propriè est intelligenda. §, eod.

PARTIS II.

CAP I.

DE PECCATO in GENERE.

QUÆSTIO I.

Ante omnia scire cupio, *quid* sit in genere Peccatum?

PEccatum est defectio & aberratio à lege divina, quan-

quando quid cogitatis, dictis vel factis fit contra divinam legem & voluntatem. Seu, Ut id Johannes describit: *Peccatum est transgressio legis: quisquis* namque *dat operam peccato, legem* DEI *transgreditur.* 1. Joh. III, 4. Vid. B. Auct. §. 2.

2. Quid per Legem DEI intelligis?

Per Legem intelligi debet, æterna DEI & immutabilis sapientia, voluntas ac judicium de his quæ creaturæ rationali, quà talis est, conveniunt aut disconveniunt, conjunctum cum voluntate, ut ea fiant, vel non fiant. §. 3.

Seu: Lex DEI, est jussum & mandatum divinum, homini per naturam impressum, conscientiam ejus, ad faciendum, quod rectum & honestum; & fugiendum, quod injustum & turpe, obligans in divini Numinis laudem, & civilis Societatis conservationem.

3. Quando autem *Lex* divina est promulgata;

Promulgata est Lex ista, primùm in ipsa creatione, quando DEUS hominibus primis, & per illos omnibus (si in integritate vitæ perstitissent) notitiã Præceptorum Decalogi, & id genus, nec non naturalem facultatem, juxta Præcepta sua cordibus humanis inscripta, rectè vivendi concesit. §. 4.

4. Superestne porro Lex ista Naturalis in cordibus hominum post lapsum Adami?

Non per omnem modum: Nam amissis per Lapsum

Lapsum primorum Parentum nostrorum perfectionibus (justitiâ scilicet, sapientiâ, & sanctitate divina concreata) Lex quidem illa valde obliterata, ut solummodo quædam ejus vestigia aut indicia manserint. Nihilominus DEUS præter alias revelationes, Patriarchis & hominibus sanctis per visionem factas, rursum in Decalogo Legis suæ summam voce atque scripto repetijt, & singula Præcepta in Sacra Scriptura passim clarius explicavit. Moses ad Israëlitas sic ait: Devt. IV, 13. *Deus ostendit vobis pactum suum, quod præcepit, ut faceretis, & Decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis.* Conf. Exod. xx, 1. seqq. & xxxi, 18. xxxiv, 28. Devt. ix, 10 §. 5.

* 5. Annon vero Lex ista per Judæos & Pharisæos est corrupta?

Lex ista quidem, in quibusdam locis fuit corrupta, nihilominus tamen eam Christus à corruptelis Pharisaicis purgavit, Matth. V, 20. seqq. c. XIX, 3. seqq. Ita ut omne id, sit peccatum, quod contra expressa in Decalogo præcepta eorumque sensum per Christum declaratum pugnat. Summam quoque Legis, Præceptis de diligendo DEO & proximo comprehendi Christus ostendit: Matth. xxii, 37. seqq. *Diliges*, inquit, *Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: Hoc est primum mandatum. Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa Lex & Prophetæ pendent.* §. eod.

* 6. Quem-

*6. Quem autem hæc Lex ad obedientiam sibi præstandam obligat?

Legis hujus divinæ vis obligandi maxima & universalissima est, quam nemo hominum effugere potest. Est enim (1.) de rebus per se bonis & malis: illis sectandis ac faciendis; his fugiendis & cavendis. (2.) DEUM sapientissimum Auctorem habet: utrumque vero horum maximi est ponderis. Denique (3.) hominem & creaturam esse, & eam Creatoris, tanquam Legislatoris præceptis non obligari, penitus repugnat. §. 6.

*7. Num id solummodo est peccatum, quod contra Legem DEI committitur?

Quandoquidem regula illa: *Quæ magistratus* à DEO ordinatus suis inferioribus & parentibus *præscribit, illa sunt facienda, & quæ Is prohibet fugienda*, quandoquidem, inquam, hæc Regula æternæ est veritatis, & in Decalogo implicitè continetur: Ideo nemo potest contra Legem positivam à superiore latam (si nempe divinæ Legi non contrariatur) agere, quin simul etiam agat contra æternam DEI legem. Si vero ea fiat contra Legem DEI, *DEO magis obediendum est, quam hominibus*, inquit Apostolus Petrus Act. V, 29. §. 7.

*8. Committiturne peccatum tantum voluntariè, aut etiam involuntariè?

Philosophis quidem adpellatione peccati nihil venit

venit, nisi quod quoquo modô fiat voluntariè factum, aut neglectum contra DEI legem. At in Scripturis vox peccati multò generaliùs accipitur: nam Johanni Apostolo 1. Epist III, 4. Omnis legis transgressio, sive sit voluntaria, sive minus, est peccatum. §. 12.

9. Quotuplex autem est Peccatum?

Peccatum communissime dividitur in *Originale*, quod inde ab hominis cujusque carnali origine seu nativitate originem suam habet; Et *Actuale* quod in homine jam existente accedentibus actionibus propriis contra Legem DEI institutis, oritur & committitur. §. 19.

10. Sed quis est horum peccatorum primus *Auctor?*

Si peccatum pro ipsa illegabilitate, seu transgressione Legis sumas, ita nullum habet Auctorem: Si vero sumas pro mali commissione, vel boni omissione, adeoque pro actione mala, ita *causa* peccati *primaria* est ipse *Diabolus*, qui sponte suâ se à DEO primum avertit & ab initio peccavit, juxta 1. Joh. III, 8. Hinc etiam dicitur à Christo *homicida à principio*, qui *in veritate* non perstitit, item *mendax & pater mendacii*, Joh. VIII, 44.

Altera peccati causa est, perversa hominis voluntas, Rom. V, 12. quæ libere Diaboli fraudibus fascinata, 2. Cor. IV, 4. pravis concupiscentiis obsequium præstat, Jac. I, 14. §. 8. 9. & 11.

[* 11. An-

* 11. Annon vero etiam DEUS *Auctor* & causa Peccati erit, cum sine Ejus Providentia nihil fiat?

Minime gentium: Etsi enim DEUS Providentiâ sua per modum Causæ Universalis ad omnes hominum omnium actiones, adeoque malas & bonas concurrat; ad malitiam tamen actionum malarum, specialem non præbens influxum, nullô modo concurrit. Actiones vero illæ malæ, ut actiones, & non ut malæ actiones, consideratæ, peccata non sunt. Nullô igitur modo DEUS dici recte potest Auctor & causa peccati. §. 10.

12. Unde porro probabis DEUM non esse Auctorem peccati?

Inde, quia peccatum omne, tum naturæ atque essentiæ DEI, tum vero voluntati ejusdem repugnat. Id quod constat ex dictis sequentibus:

Marc. X, 18. *Nemo bonus, nisi unus, nempe DEUS.*

Psalm. XI, 7. *Justus est Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.*

Gen. I, 31. *DEUS vidit cuncta, quæ fecerant, & erant valdè bona.*

Psalm. CXI, 7. *Opera manuum DEI veritas & judicium.*

Psalm. V, 5 & 6. *Non DEUS volens iniquitatem, tu es. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium: Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.*

Conf.

Conf. Psalm. CI. 3. Sophon. III, 5. Esa. LXV, 12. Zach. IIX, 17. Ose. XIII, 9. Sap. II, 24. Ex quibus locis & id genus plurimis, manifestissime constat, sanctissimum DEUM nullâ ratione propriè esse peccati Auctorem. Sed primus Auctor & causa peccati, uti dictum, est Diabolus, & deinde perversa hominis voluntas, Diaboli fraudibus fascinata morem gerens, Nam 1. Joh. III, 8. *Qui facit peccatum, ex Diabolo est: quoniam ab initio Diabolus peccat.*

Jac. I, 13. & 14. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à DEO tentatur: DEUS enim tentari malis non potest, & Ipse neminem tentat. Unusquisque vero tentatur, dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur.*

* 13. Atqui vero DEUS peccata, quæ potest, *non impedit*, & gratiam ad evitanda peccata hominibus subtrahit?

Quòd DEUS peccata, quæ potest, non impediat, id fit, quia ad id non obligatur, impertiens homini intellectum ad bonum persequendum, & malum fugiendum. Quod autem gratiam suam subtrahat interdum, id fit unice apud homines impios, contumaces, blasphemos & inpœnitentes, justitiæ ac majestatis divinæ gratiâ. Ea propter tamen DEUS Auctor peccati non est. §. 10.

14. Quis vero est peccati tam originalis, quàm Actualis obnoxius?

Omnes homines ab Adamo descendentes, & ex virili semine peccatô infecto concepti natique, so-

lô excepto Christo, non ex virili semine, sed ex Spiritu Sancto concepto natoque. Subjecti vero sunt omnes homines peccato, non duntaxat quà suas animas, sed & quà corpora atque adeo cum omnibus facultatibus suis & viribus. §. 13. & 14.

15. Unde probas omnes homines, quà animam & corpus peccato esse subjectos?

Jobi XIV, 4. *Quis mundum dabit* (& sine crimine) *de immundo* (peccatoque coinquinato?)

Joh. III, 6. *Quod natum est ex carne*, (i. e. homine carnali peccatoque polluto) *caro est* & peccato obnoxium.

Rom. V, 12 *Sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransivit.*

*16. Quodnam est consequens, seu retributio & *pœna* peccati?

Consequens omnis peccati est reatus culpæ & pœnæ propriè dictæ, cum temporalis, tum æternæ. Propter peccata quippe, rei sumus judicio, rei concilio, rei denique gehennæ ignis, juxta Matth. V, 21. & 22. §. 15.

*17. Quomodo peccatum *abstractivè* sumtum *describi* potest?

Peccatum abstractivé (seu quatenus est aberratio à norma Legis divinæ ejusque transgressio, pro nudâ duntaxat aberratione & illegalitate sumtum) est carentia conformitatis cum lege, actioni creaturæ

turæ rationalis in agendo deficientis ; vel etiam omissioni actûs habitui, aut carentiæ ejus adhærens, ideoque culpabilis & pœnâ temporali atque æternâ digna §. 17.

* 18. *Describas* peccatum *concretive* sumtum ?

Peccatum concretive (& pro quacunque actione cum illegalitate conjuncta & contra legem DEI perpetrata) spectatum, est creaturæ rationalis actio aut omisio actionis, habitus aut carentia ejus pugnans cum lege DEI, & creaturam rationalem culpabilem ac pœnâ dignam reddens. §18.

PARTIS II.

CAP. II.

DE PECCATO ORIGINIS.

QUÆSTIO I.

Quid est peccatum originis ?

PEccatum originis, juxta Pauli dogma, Rom. VII, 17. & 20. est peccatum, in nobis habitans, v. 21. malum nobis adjacens, & v. 7. ac 8. mala concupiscentia, per & propter quam bonum in nobis, ceu in nobis non habitat, ut non faciamus bonum id, quod volumus, sed malum, quod nolumus, hoc agamus. Vid. B. Auct. § 2.

* Seu : Peccatum originis, est tale contagium hominibus innatum, quod per lapsum Adami ad omnes homines per carnalem generationem propagatur, ac per suam contagiosam propagationem

totam hominis naturam omnesque animæ facultates & corporis vires, aliàs bonas, perfectas & sanctas, intime corrumpit, imagine divinâ & justitiâ originali eos spoliat, ad bona spiritualia prosequenda ineptos, ad mala vero quævis propensos reddit, atque sic eos iræ divinæ & morti æternæ, nisi remissio peccatorum propter Christi meritum fide adprehensum intercedat, subjicit, §. 15.

* 2. Quomodo Contagium hoc Peccati originis *intellectum* humanum inficit?

Peccatum Originis privat & spoliat intellectum humanum, auferendo justitiam originalem luce spirituali, ut is densissimis obfusus tenebris occœcatus, nec DEUM rectè cognoscat, nec quâ ratione DEUS sit colendus, perfecte præscribat, nec etiam, quæ divinitus sunt revelata, firmô adsensu amplectatur. Sed contra ad temeraria & falsa judicia de rebus spiritualibus ferenda, pronus, ac in cognitione DEI & virtuòsè instituenda vita, ceu quidem ex lumine naturæ constat, quodammodo impotens sit. Hinc etiam Paulus Apostolus docet, quòd *Animalis* & peccatô originali depravatus *homo, non percipiat*, nec intelligat, *quæ Spiritûs DEI*, mysteria à DEO per spiritum revelata sunt, sed *stultitia ei sint*. 1. Cor. II, 14. Conf. v. 7. 10. & 12. §. 3.

* 3. Quomodo Peccatum Originis inficit *voluntatem* humanam?

Quando eam privat sanctitate originali, seu viribus DEUM super omnia diligendi; ea, quæ in-

intellectus rectè dictitavit exsequendi; & Adpetitum cupiditatibus carnis & voluptatibus meris inhiantem coërcendi; sed potius ex adverso ad opera peccaminosa propendendi.

Rom. VI, 12. *Non regnet peccatum in mortali corpore vestro, ut obediatis concupiscentiis ejus.*

c. VII, 8. *Occasione acceptâ, peccatum per praeceptum illud* (Non concupisces) *operatum est in me omnem concupiscentiam.* v. 17. *Nunc jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* v. 18. *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio.* v. 19. *Non enim, quod volo, bonum, hoc facio; sed quod nolo, malum, hoc ago.*

Philipp. II, 13. *DEUS est, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* §. 4.

* 4. Quomodo Peccatum originis inficit *Adpetitum* sensitivum hominum?

Quando eum deprædatur & orbat obsequiô superioribus facultatibus, nempe intellectui & voluntati debitô. Contra vero impertitur ei tantas vires, ut in ea, quæ lege divina quidem prohibita; sensibus tamen grata sunt, cœcô quodam impetu interdum non exspectans, interdum etiam repudians rationis judicium, feratur ac ruat. Adpetitum istum Paulus nominat mox concupiscentiam pravam, mox Legem quandam legi DEI obpositam Rom. VII, 7, 8, & 23. *Cerno*, inquit, *aliam legem*

mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. §. 5.

5. Quis ergo rursum dicendus est hujus Peccati originalis *Auctor?*

DEUS profectò, uti in genere, ita in specie hujus peccati Auctor, nullâ dici potest ratione. Sed infernalis serpens Diabolus Protoplastos ad primum eorum peccatum seducens, Genes. III, 1. seq. causa remota dici meretur. Propinqua verò ipsi Protoplasti Eva à Diabolo seducta, & inprmis Adam, qui tanquam communis Parens totius humani generis, ac illius radix & principium, peccati causa declaratur Rom. V, 12. *Per unum hominem istum*, inquit Paulus, *peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt. §. 7.*

* 6. Quomodo vero Adam factus est Peccati hominum omnium originalis *Auctor?*

Posteaquam Adam & Eva lapsi fuissent, subitò lapsu suô indignos se reddiderunt, ut DEUS necessarium influxum suum ad conservandam in ipsis, & propagandam ad posteros justitiam originalem, porro largiretur. Sed contra dignos, ut eum influxum & cooperationem divinam justô judicio subtraheret, & quidem tantô eorum, ac eorum posterorum cum damno, ut posteris ipsorum, ex Parentibus justitiâ originali privatis, per carnalem generationem descendentibus, non amplius possit connasci in ipsis Protoplastis amissa; sed defectus

fectus illius justitiæ ac pronitas omnium facultatum ad pravas res omnes illis connasceretur. §. 8.

*7. Annon jam dicendus est DEUS *Auctor* Peccati originalis, necessarium influxum suum Protoplastis subtrahens?

Etsi Trinunus DEUS, ut justus Judex & Regum Rex, propter crimen læsæ Majestatis suæ, necessarium influxum suum ad conservandam & propagandam justitiam originalem, lapsis Protoplastis denegaverit; causâ tamen & Auctor peccati originalis, nec esse, nec dici potest. Quemadmodum enim Rex terrestris subditos suos crimen læsæ Majestatis suæ bonis eorum, à se concessis impune privare potest; ita ut multò magis Rex ipse cœlestis id sine crimine efficere valuit. Prohibuit etiam DEUS severè lapsum, dedit necessarias & sufficientes vires Protoplastis ad præcavendum peccatum, ac licet universali concursu ad esum vetiti fructûs concurrerit; non concurrit tamen ad ipsum peccatum, seu legis divinæ transgressionem & ipsam peccaminositatem, ad quam DEUS Protoplastos nec impulit, nec ordinavit. Adeoque DEUS nullum penitus peccatum ullâ ratione intendit. §. 10.

*8. Ast quomodo DEUS peccatum Protoplastorum *posteris* eorum, olim nondum existentibus *imputare* potuit?

Quomodo DEUS lapsum Protoplastorum posteris

posteris ipsorum nondum existentibus imputare potuerit, ut propterea etiam ipsos justitia originali destitutos & peccatores nasci oporteret; vel etiam quomodo hoc peccatum à Parentibus ad liberos naturaliter propagetur? Id salvâ fide potest ignorari, ac non opus est, nec fortasse consultum, ut de hac re subtilius disputetur. Sufficit enim peccati originalis per carnalem generationem ex primis parentibus descendentis, in animis & corporibus præsentiam esse in Sacris revelatam; etiamsi quomodo ea facta sit? ignoretur. §. 8. 11. 12. & 14.

9. Dixisti Protoplastos fuisse lapsos, dic etiam *quomodo fuere lapsi?*

Protoplasti primùm dubitavere de veritate divinæ interdictionis & comminationis, de fructu ex arbore vetita non comedendo, Genes. II, 17. *Ex arbore scientiæ boni & mali non comedes: nam quacunque die de eadem comedes, morte morieris.* Hanc dubitationem mox secuta est incredulitas de verbis istis: Incredulitati succenturiata fuit inordinata inclinatio ad similitudinem majorem cum DEO: Non satis quippe fuit Evæ, ut ad imaginem DEI creata, DEO quoque similis fuerit, sed nisi procul dubio est fieri alter DEUS. Hinc demum vitiorum agmen clausit inordinatus motus & desiderium edendi esusque ipse de prohibita à DEO *arbore oculis desiderabili* & ad cibum bona sive *de arbore scientiæ boni & mali.* Vid. Gen. III, 3-6. §. 9.

10. Ha-

10. Habetne lapsus Protoplastorum & Peccatum originis suos quosdam *effectus*?

Effectus lapsûs istius & Peccati originalis sunt penitus innumeri, tam in anima, quàm corpore. Anima quippe humana per peccatum originis despoliata est liberô arbitriô suo, seu libertate in spiritualibus rebus rectè, & juxta voluntatem divinam aliquid intelligendi, volendi & adpetendi: in Naturalibus, civilibus scilicet & œconomicis rebus, libertas ista etiam est diminuta. Hinc & anima & corpus innumerabili actualium peccatorum multitudini sunt subjecta; hinc sequuta despoliatio gratiæ divinæ, & iræ divinæ oppositus contra nos furor: hinc in corpore sexcentum morbi & ærumnæ aliæ: hinc denique ipsa Mors tam temporalis omnes homines devorans, quàm æterna omnes finaliter incredulos manens. Unde vir secundum cor DEI David, adulterii à se commissi fontem, non immerito in peccato originali collocat;

Psalm. LI, 7. *Ecce*, inquiens, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Sic & Paulus peccata Actualia peccato in se habitanti adscribit Rom. VII, 17. *Nunc jam, non ego operor illud* (malum) *sed quod habitat in me peccatum.*

Marc. VII, 21. 22. & 23. *Ab intus enim de corde hominum procedunt malæ cogitationes, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, Avaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blas-*

phemiæ, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab internis exeunt, & polluunt hominem. Similem Catalogum operum Carnis videsis Gal. V, 19. & 20. Morbi verò, *mors*, & omnia animæ corporisque mala, nil aliud sunt, quàm *stipendium peccati* Rom. V, 12. 14. & 18, VI, ult. 2. Cor. I, 10. §. 13.

* 13. Anne ergo etiam in omnibus hominibus pari ratione peccatum Originale *regnat*?

Per se quidem apud omnes regnare contendit; *per gratiam* autem DEI, hominibus piis adsistentem, non raro id impeditur, ne regnet. Hinc in illis, qui ejus (peccati irritationibus & motibus non resistunt, sed obsequium eis præstant, regnat velut aliquis Dominus in suos servos & Rex subditos. Qui verò motibus illis, auxiliô DEI diligentibus. Eum semper adsistente resistunt, in illis hoc peccatum non regnat semper: ij quoque non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant. Rom. VIII, 1. Et si quando peccant, id facit peccatum inhabitans, non eorum voluntas: prout servus facit aliquid nolente Domino, aut subditus invitô rege. §. 16.

* 14. *Describas*, velim, Peccatum Originis?

Peccatum Originis est carentia (seu per Satanam facta deprædatio) justitiæ originalis, per lapsum Adami, ad omnes homines per carnalem generationem propagata ipsam naturam hominis omnesque animæ facultates intimè corrumpens, ad bona spi-

spiritualia prosequenda ineptos; ad mala autem quævis propensos reddens, eosque ideo subjiciens iræ divinæ & morti æternæ, nisi intercedat remissio peccatorum propter Christi meritum fide adprehensum. §. 15.

PARTIS II.

CAP. III.

DE PECCATIS ACTUALIBUS.

QUÆST. I.

Quid est Peccatum Actuale?

ESt omne hominum vel cogitatum, vel concupitum, vel dictum vel factum, quô malum cum Lege DEI æterna pugnans aut committitur, aut intermittitur seu omittitur. vid. B. Auct. §. 1. 16. & 17.

2. Quomodo dividitur Peccatum Actuale?

Hoc peccatum à variis Viris doctis variè dividitur. Inprimis autem dividi potest:

(1.) in *Voluntarium* & in *Involuntarium*.

(2.) in Peccatum *Commissionis*, & *Omissionis*.

(3.) in Peccata contra *Deum*, *proximum* & *se ipsum* peccantem.

(4.) in peccata *cordis*, *oris*, & *operis*.

(5.) in *mortalia* & *venialia*.

(6.) in *clamantia*, & *non clamantia*.

(7.) in *remissibile* & *irremissibile*. §. 19. 24.

3. Quid

3. Quid ergo est Peccatum *Voluntarium*?

Peccatum Voluntarium dicitur, quod fit homine probe sciente, pertinaciter volente, & malitiose se ad peccatum accingente: adeoque est tale peccatum, quod non fit per qualemcumque ignorantiam, aut ex gaudio, odiô, irâ, & id genus adfectuum præcipitantiâ. Hinc etiam dicitur peccatum *proæreticum* liberâ & spontanea factum electione; item peccatum *malitiæ*, ex pertinacia scilicet & malitiosa hominum voluntate susceptum. §. 18.

4. Quid est peccatum *Involuntarium*?

Quod homines nec scientes (aliquid à se fuisse factum, aut factum illud esse peccatum) nec volentes; sed potius ex ignorantia (excusatione aut commiseratione dignâ) & vehementiori adfectu subitaneoque motu à connata concupiscentia ortô perpetrant. §. eod.

5. Quid vocatur peccatum *Commissionis*?

Quod pugnat cum præceptis Decalogi negativis, v. g. primo, secundô, quinto & seqq.

Seu: quando homines agunt id, quod DEUS in verbo suo & Decalogo non vult ab iis agi. §. 20.

6. Quod autem dicitur Peccatum Omissionis?

Quod pugnat cum præceptis DEI adfirmativis, v. g. tertiô, quartô, & id genus.

Seu:

Seu: quando homines non faciunt id, quod DEUS ab iis vult efficiendum. §. eod.

7. Quæ vocantur peccata adversus DEUM, *proximum* & ipsum *peccantem?*

Peccata in *DEUM* sunt peccata contra tabulam Decalogi primam, v. g. idololatria, blasphemia, superstitio, nominis divini in vanum adsumtio, perjurium &c. quibus peccatis DEUS solus imprimis læditur. Peccata in *Proximum*, & in *ipsum peccantem*, sunt, quæ fiunt contra tabulam secundam.

Seu: quibus aut proximi salus & persona, vel fama, vel fortunæ; aut etiam sua ipsius peccantis persona &c, iæduntur, atque sic non solum modo oroximus, aut ipse peccans, sed & DEUS offenditur. §. 21.

8. Quæ vocantur peccata *cordis, oris, & operis?*

Omnes malæ cogitationes adversus DEUM: proximum, aut seipsum, sunt peccata *cordis*. Omnia effata contra voluntatem divinam facta, sunt peccata *Oris*. Et omnes actiones turpes ac boni omissiones sunt peccata *operis*. Tametsi interdum peccatum oris gravius est, quoad noxam & reatum, peccatô operis; & peccatum cordis, gravius prioribus, §. 22.

9. Quæ vocantur peccata *Mortalia*; & quæ *venialia?*

Omne quidem peccatum per se, & ratione suæ naturæ,

naturæ, est mortale, seu morte dignum, ac veniale nullum; interim tamen ratione peccantium, aliud dicitur mortale, aliud veniale. *Mortalia* dicuntur, quæ peccanti revera à DEO ad mortem imputantur, v. g. fidei excussio apud renatos; & apud non-renatos, omnia. *Venialia* dicuntur, quæ licet morte digna sint, non tamen ad mortem peccanti imputantur, v. g. renatorum ex præcipitantiâ, ignorantiâ, vehementi adfectu &c. commissa moxque seria pœnitentia eluta. Hi quippe licet interdum exorbitent, non tamen ideo protinus desinunt esse fideles; sed in statu gratiæ divinæ permànent. §. 23.

10. Quæ vocantur peccata *clamantia* & *non-clamantia?*

Clamantia dicuntur, quæ etiam tacentibus hominibus, DEUM ad vindictam publicam permovere solent: qualia in primis quatuor, licet adhuc plura sint, numerantur. Nempe *Homicidium*; Genes. IV. 10. *Sodomia*, seu *libido* ab humana natura alienissima, Genes. XIX, 20. *Obpressio* insontum v. g. Subditorum à Tyrannis, Exod III,7. item viduarum, Orphanorum & pauperum, Exod. XXII, 23. & 27. *Denegatio* debitæ mercedis, Jac. V, 4. §. eod. Memoriæ causa his includuntur versibus. Clamitat ad cœlum vox sangvinis, & Sodomorum, Vox oppressorum, merces detenta laborum.

Non-clamantia vero peccata sunt inprimis talia, quæ DEUS suâ longanimitate sæpe tolerat & dissimulat, ceu Paulus Athenienses ignotum DEUM colentes docet Act. XVII, 30. & 31. *DEUS*, inquiens, *temporibus istius ignorantiæ connivendo dissimulatis, nunc mandat omnibus ubique hominibus, ut resipiscant. Eò quod statuit diem, quò justè judicaturus est orbem terrarum, per eum virum, quem definivit.* §. eod.

11. Quæ vocantur peccata *remissibilia?*

Quæ pœnitentiam suâ natura non excludunt, atque ideo quoque remitti possunt & solent. Huc pertinent omnia peccata, præter peccatum in Spiritum Sanctum. Nam licet mortalia ad mortem revera imputentur; tamen adhuc remitti possunt, si per pœnitentiam ac fidem retractentur atque expientur. §. eod.

12. Quid tandem est peccatum *irremissibile* seu in *Spiritum Sanctum?*

Hoc peccatum est omnium actualium peccatorum gravissimum. Vocatur autem peccatum in *Spiritum Sanctum* ideò, quòd videlicet non tam in personam Spiritus Sancti, quàm ejus officium & ministerium patefactamque per illum cœlestem veritatem committatur. Dicitur aliàs etiam *peccatum ad mortem*, denominatione ab effectu petitâ, quòd nempe mortem seu damnationem æternam certissimè adferat. §. 24.

13. Ast

* 13. Aſt, velim doceas, in quo propriè conſiſtit peccatum in Spiritum Sanctum?

Conſiſtit in primis in cœleſtis veritatis jam agnitæ malitiosâ abnegatione & ejus (veritatis) blaſphema, pertinaci, & cum finali impœnitentia conjuncta impugnatione. Abnegatio vero & impugnatio hæc deber eſſe ἑκουσίως ultronea & ſpontanea, ita ut principium & fundamentum abnegationis & impugnationis iſtius ſit pura puta malitia. Adeoque qui ex ignorantia, aut metu periculi abnegant fidem, ij non ideo peccatores ſunt in Spiritum Sanctum. Nam remiſſionem peccati adhuc conſequi poſſunt, exemplô *Pauli* ante converſionem *blaſphemi perſecutoris & contumeliosi* 1, Tim. I, 13. item *Petri*, ter Chriſtum abnegantis Matth. XXVI, 70. ſeqq. Unde perquam difficile eſt & periculoſum, de homine adhuc vivo pronunciare, quòd in Spiritum Sanctum peccet. §. eod.

14. Ubinam, amabo, de horribili peccato iſto in Sacris docetur?

Matth. XII, 31. & 32. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Conf. Luc. XII, 10.

Marc. III, 29. *Qui blaſphemaverit in Spiritum*

tum Sanctum, non habet remissionem in aternum, sed reus erit aterni delicti.

1. Joh. V, 16. *Est peccatum ad mortem, non pro illo, dico, ut roget quis.*

Ebr. VI, 4. 5. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti. Gustaverunt nihilominus bonum DEI verbum virtutesque seculi venturi: Et prolapsi sunt: rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium DEI, & ostentui habentes.*

c. X, 26. & 29. *Voluntarie nobis peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit.*

*15. Atqui vero nullum est tam atrox peccatum, quod non, ob meritum Christi, fide adplicatum, remittatur; *Cur autem Peccatum hoc in Spiritum Sanctum est irremissibile?*

Hoc peccatum suapte natura tale est, ut remitti non possit, ac nemini unquam remittatur, adserente Chtistô & Paulo locis citatis. Nam peccatum istud per se & suâ natura viam ad pœnitentiam præcludit: quandoquidem homines ejusmodi directè & plena malitia medijs conversionis,

verbô scilicet DEI,& Sacramentis, se opponunt; ideoque DEUS illis subtrahit suam gratiam,eosque in reprobum sensum tradit: hinc etiam finalis impœnitentia cum hoc peccato arctissime est conjuncta §.eod.

*16. Ast quis tantorum peccatorum actualium est causa & *Auctor?*

Sanè DEUS rursus nullâ ratione peccatorum istorum Auctor dici potest. Neque enim quenquam ad peccandum obligat, nec suadet, nec aliquem dat influxum, nec denique dirigit ad ipsam peccaminositatem. Quare etiam ab illa phrasi scandalosa,quâ dicitur, *Deum esse causam peccati per Accidens*,seriò cavendum & abstinendum.§.4.

17, Quandoquidem DEUS nullâ ratione actualis peccati est *Auctor*,quis ergo tandem erit?

Causæ peccati actualis sunt duplicis generis: aliæ sunt in homine;aliæ extra eum.

In homine est ignorantia intellectûs,adfectus seu passiones aut motus. Adpetitûs sensitivi, & malitia voluntatis humanæ. *Extra hominem* sunt Diabolus,& mundus; sive res & homines in hoc mundo contenti.§.3.& 5.

*18. Scire velim, quâ ratione *Diabolus* sit Auctor actualis peccati?

Diabolus,ceu mille fraudum artifex, multifariam est Auctor peccatorum actualium, inprimis autem,quando (1.) res naturales, quæ ad peccandum

dum invitant, solicitant & seducunt, hominibus proponit. Quemadmodum Genes. III, 6. Satanas, in serpente latens, fructum arboris vetitæ, quô Adpetitus Evæ moveretur ad concupiscendum & comedendum, Evæ exhibuisse legitur. Sic quoque Filias hominum, Filijs DEI; Bathsebam, Davidi, Susannam, Senioribus, ad eas concupiscendas objecit, quo de Genes. VI, 2. 2. Sam. XI, 2. seqq. supplement. Dan. 8.

(2.) Argumentis, præsertim ab utili desumtis svadet, ceu Evæ, quòd si de arbore scientiæ boni & mali ederint, similes erunt DEO, Genes. III, 6. Et ita incitavit Davidem ad numerandum populum 1. Paralip XXI, 1.

(3.) Consilia perficiendi criminis subpeditat: ira introiens in Judam obportunitatem temporis ei subpeditavit. Luc. XXII, 3. 6.

(4.) Varias in phantasia, tam vigilantium, quàm dormientium & somniantium, imaginationes, aut etiam alteratis humoribus in Adpetitu sensitivo excitat; atque sic homines ad peccandum inducit. Huc pertinet inter alia exemplum Regis impij Saulis, quem Satanas perturbavit, & in illo quasi raptù ad jaciendum telum in insontes excitavit: 1. Sam. XVI, 15. XIIX, 10. seq.

(5.) Quando homines variè tentat, vel ad spiritualia, v. g. Atheismum, hæresin, superstitionem, desperationem &c. vel ad secularia, honor videlicet, divitias &c. *Quoniam* omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia viræ; quæ non est ex Patre, sed ex mundo 1. Joh. II, 16. §. 6. & 14.

* 19. Ergone *Diabolus necessitat* & addigit homines ad peccata patranda?

Tametsi Diabolus, svadendo consulendoque hominibus peccata, eos necessitare videatur; proprie tamen voluntatem eorum non necessitat. Nam Jac. IV, 7. dicitur, homines posse *resistere Diabolo* ad peccandum invitanti, ut ab ipsis fugiat. Cui autem sic resisti potest, is ipse ad peccandum non necessitat. Itaque sponte consentiunt huic impostori homines: quia certè principijs Satanæ obstare poterant olim Protoplasti, & hodie regeniti; Sed semel ei consentientes, aut jugo ejus colla subjicientes, facile demum in deteriora aut extrema quæque præcipitantur, & velut vivi capti, ad voluntatem Satanæ circumaguntur, docente Paulô 2, Tim. II, ult. §, 7.

* 20. Quâ ratione *mundus* & *homines*, alieni peccati *causa* esse queunt?

Non abs re mundus dicitur aliàs *Satanæ* sponsa, & homines de mundo impijque organa Diaboli: pari namque ratione cum Diabolo homines alios ad peccandum seducunt varijs modis, præcipuè autem quando itidem: (1.) Res varias, ad peccandum occasiones præbentes & instigantes, proponunt, v. g. choros, lusus, & varias, quas vocant, animi recreationes. &c.

(2.) Quando peccata svadent & consulunt, exemplô falsorum Prophetarum, qui Achabo bellum injustum Satanæ instinctu persvaserunt. 1. Reg, XXII, 21. seqq.

(3.) Impio

(3.)Impio suo exemplô alios invitando & varia scandala præbendo, Matth XIIX, 6. seqq. v. g. Magistratus, Doctores & quilibet Superiores verbum DEI contemnentes, ebrioſi, iracundi, irreconciliabiles &c. inferiores suos, naturâ ad malum proclives, facile ad similem impietatem seducunt §8.

Hinc jam facile patet, quomodo quoquè res mundi sensibus nostris subjecta Adpetitum sensitivum, & voluntatem ad peccata moveant. Nimirum svadendo, vel exstimulando &c. Meritò ergo etiam prohibemur diligere ea, quæ in mundo sunt: eò quod hinc cupiditas carnis, libido oculorum & fastus vitæ nascantur. Hinc 1. Joh. II, 15. & 16. *Nolite*, inquit Johannes, *diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam omne, quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed mundo.* §. 9.

* 21. Quomodo tandem homo sui peccati Actualis est Auctor & causa?

Homo est causa efficiens actualis peccati secundum corruptam suam naturam, & connatam perversitatem, quæ eum justitia originali privat, & pravitate concupiscentiæ deturpat. Nam *intellectus* ejus est in spiritualibus penitus obtenebratus, & supinâ variaque obfusus ignorantiâ. *Voluntas* est habituali malitiâ, quâ quis sciens & volens ad peccandum se accingit, prædita. *Adpetitus* sensitivus est malis adfectibus, voluntatem varie impedientibus, depravatus. Unde non abs re dicuntur

ab *interioribus de corde hominum procedere malæ cogitationes, adulteria stupra, homicidia* &c. Marc. VII, 21.22. Paulus etiam ait, non se patrare, quæ fiunt contra legem, sed inhabitans in ipso peccatum originale, seu concupiscentiam pravam, Rom. VII, 17. Conf. Gal. V, 19. §. 10-14.

* 22. Annon præter Diabolum, mundum, & homines, aliæ quoque sunt actualis *peccati causæ?*

Sunt omninò: Nimirum *peccata præcedentia* frequentissime sequentium peccatorum causa esse solent, & quidem partim quatenus inclinant ad actus similes peccaminosos; partim quatenus excutiunt gratiam DEI, quâ ablata homines in peccata graviora ruunt, v.g. sinultum primum furtum, scortum, homicidium, &c. faciliores demum reddit homines hôc malo obnoxios ad iterandam malam actionem. §. 13.

23. Quænam est certissima Armatura in Sacris contra totuplices Peccati Auctores?

Maxime victricia Arma spiritualia contra Peccata omnis generis Auctores, inprimis Paulus & Petrus nobis consignata literis relinquere: Ephes. VI, 10. *Fratres*, inquit Paulus, *confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus.* v, 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.*

v. 14. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ.*

v. 15.

v. 15. *Et calceati pedes in preparationem Evangelij pacis.*

v. 16. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extingvere.*

v. 17. *Et galeam salutis adsumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* v. 18, *Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu.*

1. Petr. V, 9. *Adversario vestro Diabolo, resistiet fortes in fide scientes eandem passionem ei, qui in mundo est vestræ Fraternitati fieri.*

24 Quem vero peccata Actualia sortiuntur *effectum?*

Effectus peccati actualis est, *partim* dispositio quædam voluntatis, per quam hæc inclinatur ad actus alios similiter perficiendos; &, si actus illi crebrius iterentur, obfirmatio voluntatis in malo; *partim* reatus culpæ & pœnæ cum temporalis tum æternæ. *Quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij*, juxta Matth. XII, 36. & cap. V, 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo temere, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio. Qui vero dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis.* §. 18.

PARTIS III.

CAP I.

DE

GRATIA DEI erga homines lapsos, salutis nostræ primo PRINCIPIO.

QVÆSTIO I.

Quid nomine Gratiæ divinæ intelligis?

INtelligitur hoc loco benignus DEI *favor, Misericordia, Amor & Benignitas* erga homines peccatores omnes, quibus DEUS certô modo movetur, ut nolit humanum genus, in communi exitio, quod sibi in Adamo per peccatum Originale contraxerant relinquere; sed potius impensissime velit id per certa media, Filii scilicet sui meritum verâ fide adprehendendum &c. inde eruere, & conferre omne id, quod ad hominum salutem ac beatitudinem æternam procurandam pertinet. Vid. B. Auct, §. 1. & 2.

2. Quibus dictis probas talem DEI gratiam dari?

Joh. III, 16. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Rom. V, 8. *DEUS commendat suam erga nos* (homines omnes) *charitatem eô, quod quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus sit.*

Ephes.

Ephes. II, 4-7. & 7. *DEUS qui est dives misericordia, propter multam charitatem suam, quà nos dilexit, Etiam nos, quum in offensis mortui essemus unà vivificavit cum Christo, Ut ostenderet in seculis supervenientibus supereminentes illas opes gratiæ suæ, pro sua erga nos benignitate in Christo Jesu.*

Tit. III, 3. 4. & 5. *Et nos* (omnes homines) *eramus quondam amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odiosi, alii alios odio prosequentes. Sed postquam benignitas & erga homines amor salvatoris nostri DEI adparuit, Non ex operibus justis, quæ fecimus nos, sed ex sua misericordia salvavit nos per lavarum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti,* vide plura dicta citata. §. 2.

3. Quos ergo homines DEUS gratiâ sua complectitur complectique vult?

Gratia DEI non est *particularis* hoc locô; sed *universalis*, adeoque omnes & singuli homines, nemine exceptô, etiamsi peccatô sint corrupti, ad hanc DEI gratiam pertinent. Non quidem quatenus sunt peccatores, quos DEUS potius odit Psalm. V, 5. Sed quatenus suas creaturas, & peccatô Protoplastorum corruptas, §. 3.

4. Quibus Scripturæ fundamentis probabis Gratiam DEI, esse *Universalem*?

Præter aureum dictum Joh. III. 16. & 18. *Sic DEUS dilexit mundum* &c. Ad Rom. XI. 32.

DEUS concluſit OMNES ſub peccatum, ut OMNIUM miſereretur.

1. Tim. II, 4. *DEUS vult OMNES ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.*

2. Pet. III. 9. *DEUS eſt patiens erga nos, non vult ULLOS perire, ſed OMNES ad pœnitentiam reverti.* §. cod.

*5. Sed cum pars hominum potior pereant; annon *Gratia* DEI eſt tantum quædam *nuda Complacentia?*

Hæc gratia DEI, non eſt otioſa quædam nudaque DEI complacentia, ac ſi DEO placeret, ſi omnes homines ſalvi fierent, & nolit conferre id, quod illis è miſeria ſua aut perditione eruendis neceſſario præſtandum foret, talis inquam, non eſt illa DEI voluntas & gratia ad ſalutem omnium pertinens. Verum gratia hæc importat & ſignificat ſeriam DEI voluntatem, quâ ſerio vult conferre omnia media, quæ ad procurandam omnium ſalutem, obtentu omnibus, modò ſeriò velint, poſſibilem, faciunt. Quòd verò plurimi gratiâ hac excidant & pereant, id fit unicè ipſorum vitiô & causâ: cum nimirum ordinata à DEO ad ſalutem media nempe DEI Verbum & Sacramenta, ſpernant & conculcent. §. 4.

*6. Velim ſcire, in quo Gratia & Bonitas DEI inprimis conſiſtunt?

Gratia & Bonitas DEI, eſt etiam cum juſtitia vindicativa, ſatisfactionem pro peccatis expoſcente, con-

conjuncta, atque sic hominum salutem procurat, ut nec justitiæ aliquid decedat, nec bonitati. Hinc ista (bonitas) movet DEUM, ut procuret medium, quô justitiæ divinæ pro peccatoribus satisfiat: & ut conferre velit ac conferat ad id, ut satisfactione aliena, nempe Mediatoris, omnes homines frui queant. §. 5. & 7.

7. Ast quis est ille *Mediator* Bonitatis & justitiæ DEI, seu DEI & hominum?

Quandoquidem homines pro peccatis suis irato DEO satisfacere non potuerint, dedit igitur ex immensa sui gratia & bonitate *Mediatorem Christum* qui pro omnibus hominibus peccatoribus DEI legem impleret, pœnas violationum vicarias solveret, & pro omnibus omnium hominum peccatis irato DEO plenissime satisfaceret. §. 6.

8. Ostende, quæso, ex Scriptura sacra Christum esse *Mediatorem Universalem*, qui pro omnibus peccatoribus DEO satisfecit?

Esa. LIII. 6. *Omnes eramus sicut oves errantes, & posuit DEUS super Ipsum* (servum suum Christum) *iniquitates omnium nostrum.*

Joh. I, 29, *Ecce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi.* i. e. omnium hominum.

c. VI, 40. *Hæc est Voluntas Patris mei* (nempe Christi) *ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam,*

1. Joh.

1. Joh. II, 2. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed pro totius mundi.*

1. Cor. XV, 22. *Sicut in Adamo omnes moriuntur; ita in Christo omnes vivificantur.*

2. Cor. V. 15. *Unus* (Christus) *pro omnibus mortuus est.*

1. Tim. II, 6. *Christus semet ipsum dedit pro omnibus.*

c. IV, 10. *Christus est Salvator omnium maxime vero fidelium.*

9. Num igitur credis, *Christi satisfactionem* esse (omnium hominum &) *nostram.*

Quidni? DEUS quippe, ceu infinitæ fons inexhaustus misericordiæ, alienam, nempe Christi Mediatoris nostri, satisfactionem vult esse nostram, non tantum, quatenus pro nobis præstita est; sed & aliô peculiari modô: Nimirum ut ejus intuitu jam absque impedimento partim hæredes salutis constituamur; partim salutem ipsam æternam plene consequamur. §. 7.

10. Verum cur satisfactio Christi, nostra esse debet?

(1.) Ut eam fide adprehendamus nobisque uniamus.

(2.) Ut ea à nobis adprehensa, ad remissionem peccatorum nobis ipsô factô & reipsâ imputetur.

(3.) Ut ejus intuitu plura bona spiritualia in hac vita consequamur.

(4.) Ut

(4.) Ut similiter propter eam vitâ æterna donemur.

(5.) Ut imperscrutabilis & immensa DEI gratia, favor & misericordia, Bonitas & benignitas, ab omnibus perpetuo celebretur, & glorificetur, juxta:

Ephes. I, 5. & 6. *DEUS prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum: secundum propositum voluntatis suæ. In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* §. 7. & 8.

* II. Recense Gratiæ DEI *descriptionem?*

Gratia DEI, est actus bonitatis divinæ, quô DEUS, spectatâ hominum miseria per peccatum contractâ, movetur, ut omnes liberari atque ad salutem pertingere, ideoque Mediatorem, & quæ ad fruitionem ejus necessaria sunt, omnium bono Ipse procurare seriò velit, quibus eruantur ex illo exitio, atque ad salutem æternam perducantur: celebrandæ gloriæ bonitatisque divinæ causâ. §. 9.

PARTIS III.

CAP. II.

DE

CHRISTO salutis nostræ principio ac fundamento.

QUÆSTIO UNICA.

Unde probatur *Christum* esse *Mediatorem* inter DEUM & homines?

Joh. XIV, 6. *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, i. e. Jesum Christum.

Act.

Act. IV. 12. *Non est in alio quoquam salus, neque aliud nomen datum sub cœlo, in quo oporteat nos salvari* (nisi in Jesu Christo)

1. Tim. II, 5. *Unus est Mediator DEI & hominum, homo Christus Jesus, qui se dedit redemtionis pretium pro omnibus.*

1. Joh. II, 1. & 2. *Filioli, quod si quis peccavit, Advocatum apud Patrem habemus Jesum Christum: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solùm, sed pro totius mundi peccatis.* §. 1.

PARTIS III.

CAP. II. SECT. I.

DE PERSONA CHRISTI.

QUÆST. I.

Quis est JESUS CHRISTUS?

JESUS CHRISTUS est secunda persona divinitatis, ab æterno à Patre genita, Idemque verus & DEO Patri consubstantialis, coæternus ac coæqualis DEUS; & idem Christus etiam verus Homo nobis consubstantalis, ac nobis in omni similis, exceptô peccato. Vid. B. Au&. §. 1.

2. Unde probatur, Christum esse *verum* & naturâ DEUM?

(1.) Scriptura Sacra Eum expresse & proprie nominat DEUM, v. g.

Joh. XX, 28. *Dominus meus, & DEUS meus*, ex clamat Thomas ad Christum.

Act.

Act. xx, 28. dicitur, DEUM (i. e. Christum) *sanguine suo redemisse Ecclesiam.*

Rom. IX. 5. Christus denominatur *DEUS super omnia, benedictus in secula.*

1. Joh. V, 20. *Jesus Christus est verus ille DEUS, & vita illa aterna.*

(2.) Ex Adtributis seu proprietatibus & Epithetis vere divinis, in Scriptura Sacra Christo adsignatis: quod scilicet sit æternus, Omniscius, Omnipotens, divinô cultu colendus &c. de quibus mox pluribus agetur.

(3.) Ex operibus vere divinis, quæ Christo, tanquam genuino Auctori in divinis literis adscribuntur v. c. (α) *Creatio* Joh. I, 3. & Colos. I, 16. ubi dicitur: *per ipsum* (Christum) *facta esse omnia: Ipse in initio terram fundavit* Conf. Psalm. CII, 26. Ebr. I, 10. (β) Deinde adscribitur Christo *Conservatio* hujus Universi, ut Coloss. I, 17. *Omnia creata per ipsum consistere*, itemque Ebr. I, 3. *portari* dicuntur. Huc pertinet etiam (γ) *mortuorum resuscitatio* Joh. V. 21. 28. & 29. ut supra. Ac denique (δ) *Contritio capitis serpentis*, quando DEUS ad serpentem Evam ad vetiti fructûs esum seducentem ait: Gen. III, 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem; inter semen tuum, & semen illius*; *Ipse conteret caput tuum & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Vid. B. Auct. Part. I, cap. I, §. 29.

* Christum esse verum & natura DEUM probatur (4.) Ex collatione dictorum Scripturæ Veteris & Novi Testamenti. Seu; quod quæ diser-

tè

tè de summo DEO in Vetri Testamento dicta sunt, ea in Novo Testamento de Christo DEI Filio explicentur. Ita locum Numer. XXI, 5. 6. ubi dicitur, quòd *Israëlitæ* contra verum & summum DEUM Mosenque fuerint loquuti, atque sic DEUM *tentarint*; locum, inquam istum Paulus adplicat ad Christum inquiens: *Non tentemus Christum, sicut quidam Israëlitarum tentarunt & à serpentibus perierunt*, 1. Cor. X. 9. Conf. Numer. XIV, 2. seqq. Similiter visionem Esaiæ VI, 1. seqq. in qua Esaias vidit DEUM super Solium excelsum & elevatum sedentem, atque Seraphim Ei occinentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Zebaoth* (seu exercitum) *plena est omnis terra gloriâ ejus*, Visionem, inquam, hanc Johannes adplicat ad Christum, docens Prophetam istum tunc vidisse gloriam Christi, Ioh. XII, 41. Ita quoque dum Esaias c. XL. 3. & Malach. III, 1. jubent *parare viam Domino & rectas in solitudine semitas DEO nostro*; illud Joh. Baptista de Christo dici docet Matth. III. 3. Marc. I, 3. Luc. III, 4. Joh. I, 23. §. eod.

3. Sed quibus, velim, Scripturæ testimoniis probabis, *Christum* esse *æternum?*

Joh. I, 1. *In principio* (i. e. ab æterno) *erat Verbum* (Christus) *& Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum.*

Apoc. I, 8. *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis, dicit Dominus DEUS; Qui est & Qui erat; & Qui venturus est, Omnipotens.*

4. Proba

4. Proba Christum esse *omniscium?*

Joh. II, 24. *Jesus non credebat semetipsum Judæis, eò quòd Ipse nosset omnes.*

v. 25. *Et quia opus Ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; Ipse enim sciebat, quid esset in homine.*

c. XVI, 30. *Nunc scimus,* (ajunt Christi Discipuli ad suum Magistrum) *quia scis omnia.*

c. XXI, 17. Petrus ait ad Christum: *Domine, tu scis omnia.*

Coloss. II, 3. *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondit.*

5. *Omnipotentiam* Christi etiam proba?

Matth. XI, 27. *Omnia mihi* (Christo) *tradita sunt à Patre meo.*

Joh. X, 28. *Oves meas nemo rapiet de manu mea.*

Apoc. I, 8. *Ego sum Omnipotens*, inquit ipse Christus.

6. *Cultum* denique *divinum* Christo esse tribuendum demonstra?

Joh. V, 22. & 23. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.*

(Atqui vero Pater dicit: Esa. XLII, 8. *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meum sculptilibus?* Et cap. XLV, 23. *Mihi curvabitur omne genu, & jurabit*

omnis lingua. Itaque & Christus erit verus DEUS à suo Patre gloriâ & honore divino insignitus?)

Philipp. II, 9. 10. & 11. *DEUS exaltavit Christum. & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: Ut in nomine Jesu omne flectatur genu cœlestium, terrestium & inferorum: & omnis lingua confiteatur, quod Dominus JESUS Christus sit in gloria DEI Patris.*

7. Dixisti Christum esse verum DEUM, & verum hominem: probes itaque jam Eum esse etiam verum hominem?

Joh. VI, 40 Christus ipse nominat se hominem expresse, ad Judæos sic ajens: *Nunc studetis interimere hominem; qui veritatem verbis locutus sum.*

Parili ratione electum vas DEI Paulus docet, *Unus est*, inquit, *DEUS, unus & Mediator, DEI & hominum, homo Christus JESUS*, 1. Tim. II, 5.

* Idem in suis Epistolis omnibus, dulcissimum nomen JESUS ducenties noviesque decies usurpavit, atque sic eum esse hominem demonstravit. Demonstrat id etiam genealogia Christi recensita, quoad lineam adscendentem quidem Luc. III, 23. & seqq. quoad descendentem autem Matth. I, 1. seqq. Constat etiam Christum Filium hominis octogies bis in Scriptura Sacra adpellari. Huc pertinent variæ Christi Synonymicæ adpellationes, de *Semine Mulieris*, Genes. III, 15. *Semine Abrahæ*, Genes. XVII, 7. Gal III, 6. *Germine Davidis* XXIII, 5. Denique quandoquidem Christo partes

etiam

etiam essentiales in Scriptura Sacra tribuuntur, v. g. *Anima* Matth. XXVI, 38. Luc. XXIII. 46. & *corpus* humanum, Joh. II, 21. itemque *caro, sanguis & ossa*, Luc. XXIV, 39. Ebr. II, 14. Indubitato proinde verus est homo. vid. B. Auct. Sect. I. §. 1.

8. Siccine igitur erunt in CHRISTO *duæ Personæ*?

Tametsi quidem Scriptura Sacra Christum, mox tanquam DEUM, mox tanquam hominem, describit; nihilominus tamen inde non sequitur duas in Christo esse personas. Nam quando idem, *qui est factus ex semine Davidis*, dicitur Filius DEI, Rom. I, 3. Idem ille quoque, qui ex *Maria nascitur*, dicitur esse Filius Altissimi, i. e. DEI, Luc. I, 35. Et idem, qui est verbum (hypostaticum proprieque per se subsistens) DEI & DEUS, dicitur *caro factus* esse Joh. I, 14. Conf. c. XX, 28. & 31. Gal. IV, 4. Hinc jam gentium Apostolus Paulus perhibet, hoc, (quod DEUS conspicuus factus sit in carne, seu, quòd Christus sit in una eademque persona simul verus DEUS & verus homo) *esse omnium confessione magnum mysterium, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, adparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, adsumtum est in gloria*, 1. Tim. III, 16. Conf. Matth. XVI, 16. & 17. §. 2.

9. Si in Christo unicam duntaxat statuis personam, sequitur quod in Eo etiam *una* saltem erit *Natura*?

Minimè gentium: alia quippe in humanis &

naturalibus rebus ; & alia in Mysterijs est ratio. Hinc licet in Christo unica solùm sit persona; *duæ* tamen in ea sunt *naturæ*, nempe *divina*, quam Ei Pater per suam ab æterno communicavit generationem, & *Humana*, quam per Spiritûs Sancti obumbrationem & B. Virginis Mariæ conceptionem, eu generationem temporalem est consecutus §. 4.

* 10. Ast precor, *quomodo* hæ duæ naturæ *unam* constituere possunt personam ?

Hæ duæ naturæ ita in unam coalescunt personam, ut alterutram ex ijs suâ subsistentiâ propriâ carere oporteat. Quia vero divina natura, quæ cum subsistentia sua simplicissime una est, eadem carere non potest; idcirco humanæ naturæ, carentia propriæ subsistentiæ, est tribuenda. §. 3.

* 11. Annon vero hac ratione humana Christi natura fiet *imperfectior*, quàm est [humana natura] in nobis ?

Nequaquam; Nam perfectio rei cujuslibet ex ejus essentia, non ex subsistentia æstimatur. Præterea, personalitatis propriæ carentia, in humana Christi natura, suppletur per subsistentiam divinam. §. eod.

* 12. Cæterùm, si duæ in Christo sunt Naturæ; nonne etiam *duæ filiationes?*

Quid tum ? Adtamen per duplicem illam generationem

nerationem (divinam & humanam) & in illo fundatam duplicem filiationem, non fiunt duo Filij, nec duæ personæ: quandoquidem illæ duæ relationes [filiationes scilicet] uni insunt subjecto: ceu unus Dominus multorum servorum, ad quos singulos relationes peculiares (nempe quod ipse sit eorum Dominus) habet, esse potest, & solet. §. 4.

* 13. Explices, amabo, productionem & *ortum* humanæ Christi naturæ?

Spiritus Sanctus, quin tota sacro sancta Trinitas, massam sangvineam Beatæ Virginis Mariæ, eam virtute Altissimi obumbrans, sanctificavit, & ad consvetum generationis locum delatam disposuit, atque elevavit, ut ex ea fieret fœtus perfectus humanus: licet quidem per miraculosam Christi θεανθρώπου conceptionem factus, nostræ tamen naturæ consubstantialis, ac per omnia similis, exceptô solo peccato, & infirmitatibus personalibus v. c. morbis varijs, cœcitate, deformitate &c. §. 6-10.

14. Quibus Scripturæ fundamentis productio humanæ Christi naturæ probari potest?

Luc. I, 26. 31. & 35. *Missus à DEO Angelus Gabriel ad Mariam dixit ad eam: Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JESUM. Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te: Propterea id etiam, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius DEI.*

Matth. I, 18. 20. & 21. *Ecce Angelus Domini in somnio adparuit Josepho, postea quam Maria ei desponsata fuisset dicens: Josephe, Fili David, ne metue accipere Mariam Uxorem tuam. Nam quod in ea gentium ex Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium & vocabis nomen ejus JESUM: Ipse enim liberabit populum suum, ab ejus peccatis.*

Ebr. II, 14. *Quoniam pueri participes facti sunt carnis & sanguinis, Ipse pariter* (Christus) *consimiliter particeps factus est eorundem, ut per mortem abolevet eum, penes quem erat mortis imperium, hoc est Diabolum.* cap. eod. v, 17. *Christus debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset & fidelis Pontifex ad DEUM, ut repropitiaret delicta populi.*

Cap. VII, 26. *Talem decebat* fieri Christum, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis factus.

1. Pet. II, 22. Christus peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Conf. Ioh. IIX, 46. 2. Cor. XV, 21. 1. Pet. I, 19. §§. citt.

*15. Quid porro circa duas has Christi conjunctas Naturas observandum?

Unitio, Unio & Communicatio tam Naturarum quam Idiomatum. *Illa* consistit in eo, quod naturæ illæ, (divina & humana) in Christo ita sint conjunctæ, ut fierent una Persona, & unus Christus.

Ista, (seu Unio, ex ipsa unitione resultans) autem non est qualiscunque duarum harum naturarum conjunctio; sed talis, quâ natura divina, prout

prout est Fiiij DEI natura (seu prout in hypostasi τοῦ λόγου subsistit) intra hanc ipsam hypostasin citra commixtionem, seu confusionem & conversionem; arctissimè tamen simul & indissolubiliter sibi conjunctam habet naturam humanam, & cum ea constituit unum ὑφιστάμενον, quod & verus DEUS, & verus homo est.

Hæc, (seu Communicatio (α) naturarum quæ ex unione personali fluit) efficit, ut humana, Filij DEI, & divina natura, Filij homtnis, natura sit. (β) Communicatio Idiomatum fluit ex communicatione naturarum, per quam fit, ut ea, quæ duabus naturis inter se comparatis ad unam earum per se & proprie pertinent, alteri etiam naturæ competant. v.g. Omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia &c. sunt quidem idiomata & proprietates propriè naturæ divinæ; per hanc vero Unionem personalem & communicationem idiomatum competunt etiam naturæ Christi humanæ. Sic quoque crucifigi, pati, mori &c. sunt quidem idiomata propriè humanæ Christi naturæ, dictâ tamen ratione divinæ naturæ etiam competunt. §. 10. 11, 13. & 16.

* 16. Quomodo priscæ *Ecclesiæ Patres, Unionem* hanc olim descripsere?

Veteres primitivæ Ecclesiæ Patres occasione certaminum Nestorij & Eutychis, ita declararunt Unionem istam, ut dicerent, duas Naturas in Christo, esse unitas h, m:

(2.) ἀτρέπτως seu inconvertibiliter, ut distinguatur ab ea unione, quâ alterutrum extremorum (h.e. rerum unitarum) absorbetur, & in alterum convertitur. Unde hæc duo vocabula indicant naturam utramque, etiam facta unione, retinuisse essentiam & proprietates suas.

(3.) ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως seu inseparabiliter quoad temporum & locorum intervalla. Quâ ratione unio illa non solum *arctissima* dicitur, sed & *indissolubilis*, quippe quam DEUS per absolutam suam potentiam destruere unquam velit, nec quicquam aliud destruere possit, §. 11.

*17. Qualis ergo hæc est naturarum propriè dicenda *Unio*?

Quamvis quidem hæc unio, sit unio duarum naturarum; *naturalis* tamen non est: quia neutra natura ad alteram per se, aut per hoc quòd est talis natura, vel ad constituendam cum altero extremo (naturâ scilicet alterutra) unam tertiam ordinatur.

Hæc unio etiam non est *Essentialis*, quia extrema unita (i. e. res naturæ unitæ) non sunt partes essentiales nec coalescunt tanquam ad constituendum unum essentiale seu unam essentiam. Nec unio hæc est *Accidentalis* quæ & adesse, & abesse potest sine Christi θεανθρώπου corruptione & diminutione.

Sed unio hæc est proprie ὑποστατικὴ seu *personalis* (non autem personârum) quæ nihil aliud est, quàm veræ & perfectæ humanitatis ex substantia

(1.) ἀσυγχύτως seu inconfuse ita ut excludatur unio per mixtionem, qua, quæ uniuntur esse desinunt quod fuerant, et inter se uniuntur ad constituendum tertium, quod mixtum vocatur.

stantia Mariæ virginis Jesu Matris in ipsam personam, Filii DEI adsumtio, ut sit una persona θεάνθρωπος (verè DEUS & vere homo) absque naturarum confusione, inquit B. &Dietericus in Catech. h. l. B. Auct. §. 12.

* 18. *Communicationem* naturarum fusius, velim, describas?

Ad communicationem designandam vox περιχωρήσεως, quæ nativà sua significatione *penetrationem* aut alterius in altero existentiam, denotat, adhiberi cœpit: ita quidem, ut divina natura activè (i. e. suâ operatione & agendo) diceretur penetrare (immeare, perficere) humana vero passivè (i. e. operationem divinæ naturæ sustinendo in seque patiendo) penetrari (immeari, perfici) remotis tamen omnibus imperfectionibus. §. 13.

* 19. Quid autem Theologi per *Propositiones* Personales hìc loci intelligunt?

Hæ propositiones aliàs dicuntur prædicationes inusitatæ: quia in universa natura, nullum datur exemplum, in quo duo: (Logica) disparata in casu recto propriè de se invicem prædicentur, aut citra manifestam falsitatem de se prædicari possint. Unde, sed non satis tutò, dicuntur à nonnullis *Accidentales*. Fundantur autem in unitate personæ & communione naturarum, ac eam declarant. Sunt denique propositiones personales, tales (α) quibus concretum (seu vox primitiva DEUS, homo, vel

alia vox suppositum & personam significans) unius naturæ, de concreto alterius naturæ (ast non abstracta seu derivativa v.g. Deitas, humanitas &c. [te Abstractis aliis) enunciantur, exempli causa: DEUS est homo, Homo est DEUS, Filius Mariæ est Filius Altissimi, Filius hominis est Filius DEI viventis, Luc. I, 31. Matth. XVI, 13. 16. & 17. §. 14.

(β) Propositiones personales interdum etiam dicuntur (licet à personalibus rectè distinguantur, suô modo tamen huc referri solent) in quibus de concreto personæ, enunciatur concretum alterius aut utriusque naturæ, v. g. de Christo, Messia, Immanuele, dicitur quod Christus sit DEUS, aut Filius DEI: item quod Christus sit homo, aut Filius hominis. §. 14.

* 20. Quotuplex est *Genus Communicationis* Idiomatum?

Hoc Genus Communicationis Idiomatum seu proprietatum in Christo triplex hodie constitui solet. §. 17.

* 21. Quodnam est *Primum Genus* Communicationis Idiomatum; & quæ ejus *Prædicationes*?

Primum Genus Communicationis idiomatum adpellatur, quô DEUS sibi vendicat, quæ sunt hominis; & homo, quæ sunt DEI, exempli causa; divina Christi natura, adpropriat sibi humanas ejus personæ proprietates; & humana Christi natura rursum divinas. Hinc *Prædicationes* ad Primum Genus communicationis pertinentes sunt illæ

Illæ quibus de concreto naturæ divinæ, idioma humanum denominativè enunciatur, e. c. *Auctor vitæ est interfectus* Act. III, 15. *Dominus gloriæ est crucifixus*, 1. Cor. II, 8. Similiter quando de concreto naturæ humanæ, idioma divinum rursum de nominativé prædicatur. e. g. *Filius adscendet eò, ubi erat*, Joh. VI, 62. §. 17. & 18.

* 22. Quodnam est II. Genus Communicationis Idiomatum?

Secundum Genus Communicationis Idiomatum est, quo perfectiones seu proprietates veré divinæ & hinc resultans auctoritas ac potestas, honor & gloria summa humanæ Christi naturæ in abstracto (juxta sua derivata v. g. divinæ Christi naturæ omnipotentis, sua Omnipotentia; Omniscientiæ, Omniscientia &c.) communicatur. Sic dicitur: *Caro Christi vivifica*, Joh. VI, 53. *Sanguis Christi emundat nos à peccato*, 1. Joh. I, 7. §. 20.

* 23. Quæ vero sunt II. Generis Prædicationes?

Prædicationes secundi Generis communicationis idiomatum sunt illæ, in quibus perfectiones veræ divinæ (inprimis ἐνεργητικὰς seu operatrices dictæ, e. c. *Omnipotentia, Omniscientia, Omnipræsentia* &c.) de Christo secundum humanam naturam, non abstractive; sed denominative & adjectivè; ita tamen ut veritati humanæ naturæ non repugnent, prædicantur. Hinc rectè dicitur: Christus quà homo, est omnipotens; Humana

mana Christi natura est Omnipotens, Omnipræsens, Omniscia &c.

Prædicationes & Adtributa vulgò dicta, ἀνέρητα, quæ per se & propriè non respiciunt aliquam operationem, & involvunt aliquid humanæ naturæ repugnans, enunciatur de Christo itidem denominative, non quidem immediate (seu nude & nullô interveniente alio adtributo) sed mediante alio quocunque prioris generis adtributo me v.g. quando Christo secundum divinam ejus naturam adscribitur *Simplicitas*, *Æternitas*, *Immensitas*, sic non possum dicere: Christus secundùm humanam naturam est æternus, simplex, immensus Recte tamen possum dicere: Christus secundum humanam naturam est omnipotens omnipotentiâ æterna, simplici, immensâ §. 21.

* 24. Quod nam est III. *Genus* Communicationis Idiomatum?

Hoc genus consistit in eo, quod operationes ad officium Christi pertinentes, non sint unius & solius cujusdam naturæ sed utrique communes, quatenus utraque ad illas, quod suum est confert: & sic utraque agit cum communicatione alterius. Dicuntur communiter ἀποτελέσματα seu opera ex duabus, utriusque scilicet naturæ, actionibus ad unum finem coordinatis conflata. Item operationes θεανδρικὴ seu DEIviriles: quod Christus secundum utramque naturam, quà θεὸς & qua ἀνὴρ operatur, sicque tale opus ab utraque Christi natura profectum, mediante

mediante tamen unâ eademque Christi persona perficiatur. Huc pertinent Scripturæ dicta, quæ Christum Mediatorem, itemque Prophetam, Sacerdotem & Regem nostrum esse affirmant. Conferri huc merentur, omnes actiones Christi miraculosæ: quæ omnia Christus non duntaxat, ut DEUS, aut ut homo nudus, sed ut θεάνθρωπος sustinuit efficitque. *Nam in eo inhabitat omnis plenitudo DEitatis corporaliter*, inquit Paulus Colos. II, 9. §. 22.

* 25. Ediffere etiam Propositiones seu Prædicationes ad III. Genus Communicationis Idiomatum pertinentes?

Propositiones ad III. Genus istud pertinentes sunt (α) quarum prædicatum est operatio (v. g. nasci, pati, mori &c. pro peccatis nostris) ad officium Christi pertinens; subjectum autem nomen concretum (e. c. Christus, Filius DEI &c.) personam Christi denominans, sive ab utraque natura sive ab una tantum; ut *Christus mortuus est pro peccatis nostris*, 1. Cor. XV, 3. *Christus Jesus dedit se ipsum pro peccatis nostris*, Gal. I, 4. *Christus Jesus dedit seipsum pro nobis oblationem & victimam in odorem bonæ fragrantiæ*, Ephes. V, 2. *Filius DEI dissolvit opera Diaboli*, 1. Joh. III, 8. *Semen mulieris conteret caput serpentis* Genes. III. 15. *Filius hominis venit salvare animas*, Luc. IX, 56.

(β) Propositiones tertii Generis sunt & istæ; in quibus de persona Christi ipsum nomen officii;

officii in concreto prædicatur v. g. *Christus* est noster *Mediator*, *Salvator*, *Rex*. Perinde enim est, quantum ad præsens adtinet, sive dicas: Christum secundum utramque naturam *operari* ex Officio; sive ei competere *functionem*, cujus vi certô modô operetur. §. 23.

PARTIS III.

CAP. III. SECT. II.

DE

STATIBUS Exinanitionis & Exaltationis.

QUÆST. I.

Quid est Status Exinanitionis?

STatus Exinanitionis Christi consistit in eo quod Christus Majestatis divinæ (quam in Unione personali humana Natura communicatam accepit) usu plenariô aliquandiu se abdicavit, & tanquam vilis homo, sub forma servi, sustinuit, quæ longè infra divinam majestatem fuerunt, teste Paulô

Philip II, 6. 7. & 8. *Christus*, inquit, *quum esset in forma DEI, non duxit esse rapinam parem esse cum* DEO: *Sed Ipse se exinanivit formâ servi acceptâ similis hominibus factus*: Et *habitu inventus ut homo, Ipse se submisit, factus Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Vid. B. Auct. §. 1. & 2.

2. Qui-

2. Quinam *Articuli* fidei & Symboli Apostolici ad *statum Exinanitionis* pertinent?

(1.) De Christi *conceptione* & *Nativitate* de paupere Virgine Maria in Bethlehemico stabulo, Luc. I, 31. c. II, 7.

(2.) De Ejus vili & contemta sæpius *educatione* in domo fabri Josephi, de quo Matth. XIII, 55.

(3.) De Ejus visibili *conversatione* inter homines, cum variis molestiis laborum itinerum, periculorum, tentationum, egestatis, contumeliæ &c. conjuncta.

(4.) Denique de maxime dolorosa horribilique Christi *Passione*, *morte* atque *sepultura*. Atque ita, si moras in sepulchro addas usque ad resurrectionem, clauditur status Exinationis. §. 3.

3. Quid est Status *Exaltationis*?

Status exaltationis est, quô Christus secundum humanam naturam depositis infirmitatibus carnis, plenarium divinæ majestatis usum suscepit & exercuit. Paulus hunc statum sic describit: rursum Philip. II, 9. 10. & 11. *Deus exaltavit Christum* (post Ejus exinanitionem & labores exantlatos) *in suam sublimitatem, ac donavit ei nomen, quod est supra omne nomen: Ut ad nomen Jesu flectatur omne genu cœlestium, terrestrium ac inferorum: Omnisque lingua confiteatur, Jesum Christum esse Dominum ad gloriam Patris.* §. 4.

4. Qui

4. Qui vero *Articuli* fidei ad Statum *Exaltationis* pertinent?

(1.) Ad initium Statûs Exaltationis referendus est *Descensus* ad inferos, quô Christus secundum animam & corpus in inferno præsens Diabolo & inferis omnibus se, tanquam Victorem triumphatoremque mundi, criminis, mortis ac inferni, glorioſiſſimum atque Dominum ſummâ majeſtate pollentem exhibuit, juxta 1. Petr. III, 18. 19, & 20. *Christus pro peccatis noſtris ſemel mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret* DEO, *mortificatos quidem carne, vivificatos autem Spiritu. In quo & his, qui in carcere erant, Spiritu veniens prædicavit. Qui increduli fuerant aliquando, quando exſpectabant* DEI *patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, id eſt octo animæ ſalvæ facta ſunt per aquam.* conf. 2. Pet. II, 4. Judæ v. 6.

(2.) Ad ſtatum Exaltationis pertinet *Reſurrectio* Chriſti vera & glorioſa, qua de copioſiſſime videri poteſt, 1. Cor. XV, 40. ſeqq. brevius verô: Joh. X, 17. 18. Ubi Chriſtus ait: *Ego pono animam meam ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ipſo: poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.*

Matth. XXVIII, 5. 6. Angelus Domini dixit ad Mulieres quærentes Chriſtum in ſepulchro: *Nolite timere vos: Scio enim, quod Jeſum, qui cruxifixus eſt quæritis. Non eſt hic, ſurrexit enim, ſicut dixit.* Conf. Marc. XVI, 6. Luc. XXIV, 6. ſeqq. Joh. XX, 1. - 17.

(3.) Ad

(3.) Ad ſtatum Exaltationis pertinet etiam *Aſcenſio* Chriſti in cœlos: quæ licet facta ſit, vere & realiter corpore ex terris ſurſum elevatô; non tamen eſt nimium ſcrutanda, aut juxta modum naturalem ita definienda, ut corporis Chriſti in Cœlum elati præſentia in terris negetur. De hac Aſcenſione docetur in primis. Act. I, 9. 10. & 11. *Chriſtus*, ait Lucas Evangeliſta, *Diſcipulis ſuis videntibus elevatus eſt, & nubes ſuſcepit Eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo Viri adſtiterunt juxta illos in veſtibus albis. Qui dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis adſpicientes in cœlum? Hic Jeſus, qui aſſumtus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis Eum aſcendentem in cœlum.*

Ephes IV, 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſupra omnes cœlos, ut adimpleret omnia.*

(4.) Ultimus ſtatus exaltationis fidei Articulus eſt, *Chriſti ſeſſio* ad dextram Patris. *Dextra* autem hæc non eſt locus aliquis certus, ſed ipſa omnipotens DEI virtus, quæ cœlum & terram replet, juxta Solidam Declarationem Form. Conc. Artic. 8. Adeoque *ſedere* ad dextram DEI dicitur, qui totum terrarum orbem inprimis vero Eccleſiam potenter & provide gubernat, omnibusque hoſtibus ſuis dominatur: quod patet rurſum ex Pſalm. CX, 1. & 2. ubi Pſaltes regius ſic occinit: *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum.* Conf. Act. II, 34. 35.

Act. II, 33. Jesus *Dextrâ DEI exaltatus, & promissione Spiritûs sancti acceptâ à Patre, exfudit hoc donum* [nempe Spiritûs sancti supra Apostolos visibiliter exfusi] *quod vos videtis & auditis.* §. 5.

PARTIS III.

CAP. II. SECT. III.

DE OFEICIO CHRISTI

QUÆSTIO I.

Quidnam est officium Christi?

Officium Christi est, ut Ipse in adsumta humana natura, & per eam salvos faceret homines peccatores, cœlesti suo Patri eos reconciliaret, ac opera Diaboli destrueret. Atque hanc inprimis ob causam Angelus Gabriel annuncians Christi conceptionem & nativitatem vocat Eum *JESUM: Ipse enim*, inquit, *salvum faciet populum suum à peccatis eorum* Matth. I, 21.

Joh. IV, 42. Samaritani dicunt: *Ipsi audivimus & scimus, quia hic est verè Salvator.*

Rom. V, 10. *Si, cum inimici essemus, reconciliati sumus DEO per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati salvi erimus in vita Ipsius.*

Ebr. VII, 25. *Jesus salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad DEUM, semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

1. Joh. III, 8. *In hoc adparuit Filius DEI, ut dissolvat opera Diaboli.*

*unde

* Unde etiam constat, salvare non tantum esse *servare* & *liberare*; sed dare quoque salutem aut facere felicem. Constat quoque hinc, *Jesum*, plus esse quàm *Servatorem*, neque abs re Salvatoris nomen Christianis præplacuisse. Sic quoque nomen Christi, quod unctum denotat, simul indicat certum Christi officium, cujus suscipiendi & exercendi causâ prout in Veteri Testamento Prophetæ Sacerdotes & Reges ungebantur, Christus homo unctus est. Vid. B. Auct. §. 1.

2. Quotuplex est hoc munus & Officium Christi?

Christus θεάνθρωπος salvandorum hominum causâ tria præcipuè munia exsequi voluit. Nimirum (1.) Ut ostenderet hominibus peccatoribus viam elabandi è statu peccati, & salutem æternam consequendi: & hoc vocatur *Officium Propheticum*. *Venit enim Filius hominis, ut salvet, quod perierat*, Matth. XVIII, 11. Luc. XIX, 10.

(2.) Ut pretium redemtionis pro genere humano lapso ipse solveret DEO, eumque reconciliaret: quod est officium *Sacerdotale* seu Mediatorium. Conf. sup. Rom. V. 10. *Si, cum inimici essemus* &c.

(3.) Ut Christus homines sibi verâ fide adhærentes, seu populum suum & fideles, gubernaret, defenderet, denique beatos efficeret: quod officium *Regium* vocari consuevit. Matth. XXVIII, 18. *Data est mihi*, inquit Christus, *omnis potestas in cœlo & in terra*. Ebr. 1, 8. 9. DEUS dixit ad Filium

ſuum: *Thronus tuus, DEUS, in ſeculum ſeculi: virga recta, virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti transgreſſionem: propterea unxit te ô DEUS, DEUS tuus oleò exultationis ultra conſortes tuos.* §. 2.

3. Quinam & qualis fuit *Chriſtus Propheta?*

Chriſtus fuit non tantum ille Propheta Moyſi ſimilis, de quo Moyſis olim vaticinatus eſt Deut. XIIX. 15. *Prophetam*, inquiens, *de gente tua* (Iſraël) *& de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus DEUS tuus. Ipſum audies.* Verum etiam omnibus aliis Prophetis excellentior, qui hominibus Voluntatem DEI de ipſis ſalvandis clariſſimè manifeſtavit, eos docuit pariter & arguit, ac Verbô ſuo prædicato auctoritatem atque efficaciam divinam in hominum ſeſe audientium æternam ſalutem Ipſe contulit. De Prophetico iſto Chriſti officio agitur Matth. IV, 17. *Exinde cœpit Jeſus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite: adpropinquavit enim Regnum Cœlorum.*

V. 23. *Jeſus circuibat totam Galilæam, docens in Synagogis eorum & prædicans Evangelium Regni, & ſanans omnem langvorem & omnem infirmitatem in populo.*

Luc. VII, 16. Populus in civitate Naim magnificiens DEUM de Chriſto ait: *Propheta magnus ſurrexit in nobis.*

Joh. VI, 14. Diſcumbentes & ſaturati circiter quinquies mille viri, & *homines*, *cum vidiſſent, quod Jeſus fecerat ſignum dicebant: Quia hic eſt verè*

verè Propheta, qui venturus est in mundum. Vid. pluribus Conciones Christi apud Matth. V, VI, & VII, capp. §. 3.

4. Quomodo Christus munus *Propheticum* exercuit, an secundùm humanam an vero secundum utramque Naturam?

In hoc officio Christi Prophetico, utraque ejus natura humana pariter & divina, quod cujusque proprium erat, contulit. Et quidem secundum humanam naturam, Christus totô triennió & ultra, voce vivâ docuit, juxta Matth. V, 2. Luc. IV, 21. Sacramenta quoque in Ecclesia celebranda instituit v. g. Sacram Cœnam Matth. XXVI, 26. Baptismum autem Matth. XXVIII, 19. Et ministros Verbi ac Sacramentorum non solum sibi accersivit, sed ad prædicandum inter omnes gentes misit, atque plenariam clavium cœlestium potestatem eis tradidit, Matth. IV, 18. 21. IX, 9. x, 1. & seqq. xxviii, 19. Joh. xx, 22. & 23. ut infra suô loco videri potest. §. 4.

5. Num Christus & in Statu Exaltationis atque hodie officiô Prophetico defungitur?

Quamvis Christus in Statu Exaltationis & hodie non amplius ipse coràm visibiliter ministerio docendi fungatur; nihilominus tamen per ordinarios suos & Ecclesiæ suæ Ministros hodienum docet, atque sic officiô suo Prophetico (quod quidem nunc cum Regno Gratiæ coincidere videtur) rite

defungitur, licet invisibiliter. Nam quidquid per Ministros Ejus efficitur, id omne à Christo pendet: quippe qui cum ipsis est omnibus diebus ad consummationem seculi, ipsis cooperaturus & sermones eorum confirmaturus, juxta Matth. XXIIX. v. ult. Marc.XVI, ult. §. 5.

6. Quodnam est officium Christi Sacerdotale?

Sacerdotale Christi officium, in eo consistit, quòd ipse Salvator noster non saltem inter DEUM atque homines à se invicem dissentientes, medias partes tenet, nostrum Mediatorem agit; sed & pro hominibus omnibus, electis pariter atque reprobis, cum DEO reconciliandis sacrificium expiatorium & preces offerendo; item perfectissime totam DEI legem implendo, toti Sacro Sanctæ Trinitati satisfecit. Hinc David & Paulus ajunt: *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Psalm. X, 4. Ebr. V, 6. & Ebr VII, 26. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus*, Pluribus videsis Ebr. IV-XI. § 6. 9. 10.

7. Nonne alia adhuc supersunt dicta, ad confirmandum officium Christi?

Joh. XIV, 6. Christus ait ad Thomam: *Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

1 Tim. II, 5. & 6 *Unus est DEUS, unus etiam Mediator DEI & hominum, homo Chri-*

stus

stus Jesus. Qui sese ipse dedit redemtionis pretium pro omnibus.

1. Joh. II, 1. & 2. *Filioli mei*, inquit Johannes, *quod si quis peccarit, habemus Advocatum Jesum Christum justum: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi peccatis.*

Act IV, 12. *Non est in alio quoquam salus, nec aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* Conf. Matth. I, 21. Luc. I, 31. II, 31. 11. Joh. I, 12. 14. 16. 18. 29. & 36.

8. Annon verò doctrina, de Christo Mediatore nostro, in Veteri Testamento quoque supereſt?

Vetus Testamentum de Christo Messia passim docet, quamvis non tam apertè ceu Novum, quod meritò Veteris Testamenti complementum dicitur. Exstat autem doctrina de *Semine mulieris* caput serpentis contrituro, Gen. III, 15. *de Semine Abrahæ*, in quo benedicendæ sunt omnes gentes terræ, Gen. XII, 3. XV, 6. XXII, 18. De *Messia Siloh* ex tribu Juda nascituro, Gen. XLIX, 10. De *Propheta* Mosi simili, Deut. XIIX, 15. 18. Conf. Psalm. II, VIII, XXII, XLV. LXVIII, CX, Esa. VII, 14. LIII, 4. seqq. LXI, 1. seqq. Jerem. XXIII. 5. XXXIII, 15. Dan. IX, 24. Ose. XIII, 14. Mich. V, 2. Hag. II, 8. Zach. IX, 9. XIII, 1. Malach. I, 11. III, 1. IV, 2. Vid. B. Auct. inf. cap. 7. §. 21. lit h.

9. Ecquâ ratione Christus sese *sacrificavit?*

In sacrificiis Veteris Testamenti sæpius offerebantur victimæ à Sacerdotibus distinctæ, res scilicet animatæ & brutæ; Christus vero, ceu pretiosissimum Novi Testamenti sacrificium, sacrificavit semetipsum, cœlesti suo Patri obediens factus usque ad mortem, ac passioni & morti crucis se subjiciens: atque ita DEO semet ipsum obtulit gratissimam victimam, virtute expiatrice eaque infinita præditam, pro omnibus peccatis, tam originalibus, quàm actualibus, & quidem non suis sed aliorum nempe totius generis humani, expiandis. Atque hinc etiam præstat sacrificium Christi, præ omnibus sacrificiis Sacerdotum veteris Testamenti: quandoquidem hæc duntaxat typi & umbræ Christi fuere sæpius iterandæ.

Ebr. IX, 11. 12. 13. & 14. *Christus adsistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non hujus creationis: Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemtione inventa. Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ adspersus inquinatos sanctificat ad emendationem carnis; Quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum DEO emendabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum DEO viventi.* &c. conf. à cap. III, --- X- fere per totum, §. 8. 87.

* 10. Unde probas *Christum, nec pro se, nec pro Angelis* DEO Patri satisfeciſſe?

Chriſtus quidem non ſolum Patri ſuo, ceu legis latori, & Domino hominum ſupremo, cujus majeſtas peccatis hominum erat violata; ſed & ſibi, quatenus ſcilicet ſpectatur, non ut Mediator, ſed ut DEUS Autorque & vindex Legis per eſſentiam ſummè juſtus, quodammodo ſatisfecit. At pro ſe ipſo, aut pro Angelis ſatisfeciſſe dici non poteſt. Ipſe enim peccator non fuit, adeoque nec offendens. Angelorum autem, ſive ſpectes illos, qui non peccarunt; ſive reliquos lapſos, ſicut naturam non adſumſit; ita neque cauſam illorum, tanquam mediator ſuam fecit. Ebr. II, 16. Boni quippe ſine labe in bono penitus confirmati, ita ut nunquam prolabi queant, nullius pro ſe ſatisfactione egent. Malos vero, ad ſempiternos carceres à DEO juſtiſſime detruſos, & in malo obduratos, ſatisfactio Chriſti nil juvat: cum ipſe eorum naturam non adſumſerit. §. 10.

11. Aſt, velim, confirmes evidentibus ſcripturæ teſtimoniis, *Chriſtum pro omnibus hominibus* tam incredulis, quàm credentibus & Electis *ſatisfeciſſe?*

DEUS nobis hic ſolſtitiali ſolis radio clariorem eſſe voluit ſcripturam, univerſalitatem meriti Chriſti docentem. Nimirum — Eſa. LIII, 6.

DEUS conjecit in servum suum fidelem (nempe Christum) *omnium nostrum peccata.*

Joh. I, 29. *Ecce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi.* Seu homnium omium mundum incolentium.)

Joh. III, 17. *DEUS misit Filium suum unigenitum, ut mundus salvaretur per eum.* Cap. IV, 42. *Christus est Salvator mundi.* 2. Cor. V, 19. *DEUS erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

1. Tim. II, 6. *Christus dedit seipsum pretium redemtionis pro omnibus.*

1. Joh. II, 2. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi.* §. eod.

12, Quâ ratione *Christus preces & intercessionem* hominibus *præstitit?*

Preces & intercessionem Christus, noster Sacerdos, pro omnibus quidem hominibus præstitit: Sed ita ut *pro impiis* orans, eorum conversionem procuraret. Pro piis autem intercedens, constantiam eorum & incrementum in fide ac sanctitate promoveret. Pro *impiis*, & crucifixioribus suis, convertibilibus juxta atque inconvertibilibus, nullô penitus excepto, oravit Christus Luc. XXIII, 34. *Pater*, inquiens, *dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Quô ipso ostendit, quod quantum in se est, non velit ullos fructu mortis suæ, nempe vitâ æterna, privari, sed potius converti & salvari. Pro piis orasse legitur. Joh. XVII, 11. *Pater sancte, serva eos* (pios) *per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut*

&

& nos. v. 15. *Non rogo, ut tollas eos de mundo; sed ut serves eos à malo.* v. 17. *Sanctifica eos in veritate tua.* v. 24. *Pater, quos dedisti mihi, velim, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ac spectent gloriam illam meam, quam dedisti mihi.* §. 11.

*13. Secundùm *quam* vero *naturam* Christus Sacrificium & *preces* suas *perfecit?*

Secundùm utramque Naturam. Scilicet ad sacrificium *humana natura*, quod suum erat, contulit, quando Christus hostibus suis obviam ivit, passionemque & mortem toleravit. *Divina* verò, quoad valorem & virtutem infinitam passioni & morti additam, ut ad expianda hominum peccata DEUMque placandum sufficeret. Quòd intercessionem & preces Christi adtinet; illic actus & & ratio ipsa orandi in se spectata, ad humanam Ejus naturam propriè pertinent: Dignitas verò & valor eorundem ex divina natura resultant. §. 12.

*14. Num Christus in statu Exaltationis Sacerdotali suò defungitur officio seque ipsum porro sacrificat?

Sanè fatendum est, Christum in Statu Exaltationis non amplius pro nobis præstare sacrificium. Non enim amplius mactatur aut moritur; peractum tamen olim DEO exhibet: Non quasi oblatio

latio ipsa dilata fuerit ad Adscensionem in cœlos, quippe quæ statim in ara crucis facta fuit, sed quod victimam illam semel consecratam oblatamque DEO, Christus semper sistat intuendam & coram DEO valituram, juxta dogma Pauli Rom. VI, 9. & 10. *Scientes*, inquit, *quòd Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: Quod autem vivit, vivit DEO.*

Ebr. IX, 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhauriendapeccata: secundo sine peccato adparebit omnibus exspectantibus se in salutem.* conf. v. 12. 25. & 26.

c. X, 11. 12 & 14. *Omnis quidem Sacerdos præstò est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Christus autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera DEI. Unâ enim oblatione consummavit in æternùm sanctificatos.* §. 13.

* 15. Anne & *hodie* Christus pro nobis apud DEUM *intercedit?*

Christus omnino, tanquam peccantium Advocatus causam eorum apud Patrem suum cœlestem agens hodienum pro nobis intercedit. Licet quidem interceſſio illa in forma servili aut humili, quem

quemadmodum olim eô in terris existente, non fiat. An autem intercessio illa verbis sit? an mente? an vero reipsâ fiat, & in hoc consistat, quòd Christus vi meriti ac satisfactionis suæ olim præstitæ & precum olim factarum DEUM moveat ad remittenda nobis peccata? non necesse est definire. Satis est, quòd intercessio hæc DEO Patri sit acceptissima, ac nobis ineffabiliter fructuosa. *Christus salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad DEUM, semper vivens ad interpellandum pro nobis?* Ebr. VII, 25. conf. 1. Joh. II, 1. & 2. §. eod.

16. Quidnam & quotuplex est *officium* Christi *Regium?*

Regium Christi officium est, quô ipse omnia in cœlo & in terra potenter gubernat, in primis vero Ecclesiam suam regit ac defendit. Hocque *officium* est *triplex*: nempe in regno ejus Potentiæ, in regno Gratiæ & in regno ejus Gloriæ. §. 14.

17. Quid itaque est *Regnum Potentiæ?*

Regnum Potentiæ Christi est quô ipse huic Universo, seu omnibus operibus manuum DEI, & rebus creatis potenter dominatur, easque conservat & providentissimè gubernat ceu genuinos subditos suos. Ita Dan. VII, 14. dicitur: *Filio hominis* (Jesu Christo) *datus dominatus gloriæ, & regnum, ut omnes populi, nationes & linguæ ei serviant.* Unde & Paulus scribit Ephes. 1, 20. seqq. *DEUS collocavit Christum ad dextram suam*

in

in cœlis longè supra omnem principatum ac potestatem, virtutem & dominium, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus. Et Philipp. II, 9 10. & 11. *DEUS exaltavit Christum, & donavit illi nomen quod Est super omne nomen: Ut in nomine Jesu flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum. Et omnis lingva confiteatur, quod Dominus Jesus Christus sit in gloria DEI Patris.* Meritò ergo & ipse Christus ait Matth. XXIIX, 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* §. 15.

18. Quodnam vocatur *Regnum gratiæ?*

Regnum gratiæ Christi est, quô Ipse Ecclesiam militantem per verbum & sacramenta colligit, conservat & bonis spiritualibus abunde donat. De hoc regno Christi, olim adhuc vaticinatus est

Jerem. XXIII, 5. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo David germen justum & regnabit Rex & sapiens erit. Et faciet judicium & justitiam interra.* Conf. XXXIII, 15. 16. Zach. IX, 9. *Exulta valde, Filia Sion, clange Filia Jerusalem! Ecce Rex tuus venit tibi justus, & salvator est.*

Joh. XIX, 36. Christus ait: *Regnum meum non est ex hoc mundo.* Conf. 1, Pet. II, 9.

Unde

Unde facile patet *subditos* in hoc regno esse homines fideles, qui Ecclesiam Christi militantem constituunt, quique *de hoc mundo non sunt* juxta Joh. XVII, 14. 16. §. 16.

19. Quod tandem dicitur *Regnum Gloriæ?*

Regnum Gloriæ est, quo Christus Ecclesiam triumphantem gloriosè regit, atque æternâ felicitate replet *Subditi* vero in hoc Regno sunt homines beati.

Matth. XXV, 31. *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super thronum majestatis suæ.*

Joh. XVII, 21. Pater, oro te, *ut*, qui credituri sunt in me, *omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.*

* Ad hoc Regnum refertur *resuscitatio* fidelium tam mortuorum, quàm superstitum *introductio* in gloriam æternam: de quo sup. Matth. xxv, 34. Conf. Luc. xxii, 29. 30. §. 17.

PARTIS III.

CAP. III.

DE

FIDE in CHRISTUM.

QVÆSTIO I.

Quid est Fides in Christum?

Apostolus Paulus fidem in *communi* describit, quod

quod ea sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ebr. XI, 1. In *specie* vero, Fides, in Christum, est talis animi actio, dum quis, non solùm ea dogmata, quæ de Christo, & promissionibus gratiæ DEi per Christum impetrandæ in sacris continentur, probè novit, & ea omnia esse vera credit atque adsentitur; verum etiam ea sibi interiori cordis adfectu ita adplicat, ac adpropriat, ac si ea omnia, quæ Christus delendorum peccatorum humanorum causâ est perpessus pro ipsius quoque (hominis ista credentis) peccatis fuerit passus, & omnia bona, per passionem Christi parta, ipsi quoque parta fuissent. Vid. B. Auct. §. 20.

2. Cur Fides in Christum omnibus hominibus æternum salvandis est necessaria?

Quandoquidem juxta Rom. V, 12. *per unum hominem* Adamum, *peccatum in mundum* inque omnes *intravit*, *& per peccatum mors*, *atque ita mors in omnes homines*, æternâ salute privans, ac æternæ damnationi adjudicans *pertransiit*; Ad hæc quandoquidem Christus ipse ait, quòd *nemo veniat ad Patrem* cœlestem, & in regnum cœlorũ, *nisi per Christum* ac sinceram in Eum fidem: merito igitur Fides in Christum requitur; seu, ut in Christum tanquam Mediatorem inter DEUM & homines, omnes peccatores verè credant ut tandem æternam salutem per Eum consequantur. §. 1.

3. Sed

3. Sed quid opus est tali fide, cum Christus meritò suo Patrem cœlestem nobis pridem reconciliarit, ac nobis morte suâ vitam æternam hæreditariò jure promeruerit?

Quamvis enim per passionem & mortem Christi revera præstitum fuerit, quicquid satisfactionis ab universis in mundo hominibus, ad abolendum debitum, per offensas illorum contractum, adeoque ad placandum DEUM eosque ipsi reconciliandos exigi poterat; voluit tamen DEUS, ut peccatores satisfactionem illam pro se ipsis quoque à Filio DEI præstitam agnoscant & fide vera adprehensam suam faciant. Et sic voluit DEUS, ut quisquis Mediatorem vera finalique fide amplectitur, merito quoque ejus fruatur, ac DEUM sibi revera jam reconciliatum, & plane faventem ad salutem conferendam habeat. Voluit denique DEUS ut quilibet per hanc fidem justificetur, renovetur, ac tandem æternùm salvetur. Ex adverso autem si quis Mediatoram verâ fide non adprehendat, is satisfactione Christi pariter & gratia DEI, suâ culpa privetur ac maneat in DEi offensa. §. eod. item 14. & 19.

4. Quibus autem dictis hanc fidei necessitatem probabis?

Gen. XV, 16. *Credidit Abraham DEO, & id imputatum est ei ad justitiam.*

Marc. XVI, 16. *Qui crediderit, & baptizatus*

fuerit salvus erit: Qui vero non crediderit, condemnabitur.

Joh. III, 16. 18. 36. *Sic DEUS dilexit mundum &c.* c. XX. v. ult. *Hæc scripta sunt, ut credentes vitam* (æternam) *habeatis in nomine ejus.*

Rom. III. 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem*, Vid. plur. Cap. de Justif. &c.

* 5. Quotnam sunt *partes Fidei* in Christum?

Tres: *Notitia, Adsensus* & *Fiducia.*

* 6. Qualem hic intelligis Fidei *Notitiam?*

Notitia hic non intelligitur *implicita*, seu talis, quâ quis v. g. credere putatur ea omnia, quæ Ecclesia credit, esse vera: licet quænam illa sint, quæ Ecclesia credit, ipse nesciat: quæ fides dicitur vulgò *fides carbonaria*, der Köhler-Glaube. Sed notitia hôc loco intelligitur explicita, seu talis, quando quis distinctè novit (licet non semper, nec omnia evidenter) Articulos fidei & dogmata credenda, in primis de Christo ejusque merito & gratia DEI seu remissione peccatorum ac salute, à DEO per meritum Christi impetranda: ut Joh. XVII, 3. dicit Salvator: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum illum verum DEUM, & quem tu misisti Jesum Christum.* Conf. c. VI, 69. Luc. I, 77. Gal. IV, 9. Joh. X, 14. §. 2.

* 7. Quid per *Adsensum* Fidei intelligitur?

Adsensus fidei dicitur, quando quis Articulos fidei,

fidei, non saltem probe novit; sed etiam ea esse vera credit; tum ptopter veracitatem DEI talia dogmata revelantis; tum propter interiorem in corde suo supernaturalem, & scripturæ sacræ inseparabiliter adhærentem gratiam DEI & credendi virtutem prout Eunuchus Act. HX, 37. Philippo, post sermonem, quô *Jesum illi prædicavemt, quærenti: Utrum crederet ex toto corde?* respondit: *Credo Jesum Christum esse illum Filium DEI.* §. 3.

* 8. Quid tandem est Fidei *Fiducia?*

Fiducia fidei in Christum est ejusmodi actus, quô voluntas adquiescit in Christo Mediatore, tanquam bono præsente atque nostro; & tanquam causa alterius boni, nempe remissionis peccatorum & vitæ æternæ consequendæ.

Seu Fiducia est, quum quis omnem suam salutem in promissionibus divinis, de gratia DEI, remissione peccatorum, & vitâ æternâ; itemque in Christo ejusque merito collocat, ac omnia dicta sacræ Scripturæ Universalia præsertim de Christo Mediatore & gratia per Christum impetranda, ad se in specie adplicat & inmotè credit, Christum pro se quoque esse natum, passum & mortuum. Adeoque Assensus, quem præcedit Notitia, cum fiducia; & Fiducia cum Adsensu conjuncta sint oportet, in vera Fiducia. Atque sic meritum Christi, remissio peccatorum & vita æterna hominibus omnibus à Christo adquisita adplicantur credentibus per fidem, ut revera eorum (beneficiorum à Christo partorum) participes reddantur. Exem-

plô Jobi, professionem fidei suæ, qua ex notitia, Adsensu & Fiducia constitit, edentis; *Scio* inquit, *quod redemtor MEUS vivit* &c. cap. XIX. 26. Et Paulus Gal. II, 20, ait: *Vitam, quam nunc vivo per fidem illam Filii DEI, qui dilexit ME & tradidit semetipsum pro Me.*

Rom. VIII, 33. 34. & 35 *Quis accusabit adversus Electos DEI? DEUS* (est) *qui justificat. Quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est: imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram* DEI, *qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* v. 38. 39. *Certus sum enim, quia neque mors neque vita; neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo: Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit NOS separare, à Charitate DEI quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* §. 4. &c.

* 9. Siccine *Fidei* tanta est *Præstantia*, ut ea sit *causa salutis* nostræ?

Equidem ipsius fidei solius in se tantùm spectatæ, non est tanta dignitas, vis & valor apud DEUM, ut eô moveri DEUM ad salutem nobis conferendam existimare queamus; Sed hæc dignitas & præstantia manat ex Christi merito (quod est pretii, ponderis ac valoris infiniti) fide verâ hominibus adpropriato. Hujus meriti itaque intuitu, (quôcum fides intime conjuncta est) voluntas di-

divina permulceatur ad nos in gratiam recipiendos ac salute æternâ donandos §. 8.

10. Quis autem & quî fidem in Christum in hominibus operatur?

DEUS Trinunus fidem hanc virtute quidem suâ propria & sufficiente; mediante tamen verbô Evangelii & sacramentis: adeoque mediante ministeriô, nempe per verbi divini prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem, in hominibus peccatoribus, regenitis aut conversis, tam adultis, quàm infantibus, ex immensa suâ bonitate seu gratuito favore & vi meriti Christi, producit §. 8. 13.

* 11. Quænam sunt fidei in Christum *proprietates?*

Duæ in primis fidei in Christum proprietates observari merentur.

Prima est *Certitudo*, dum quis non tantum verbo DEI penitus & immotè adsentitur, omnes scilicet divinas promissiones, de Christo, fide in Christum, gratiâ DEI immensa, remissione peccatorum, vitâ æterna, & id genus, esse veracissimas & immotæ veritatis; sed etiam adjuvante DEI gratiâ, superatis dubitationibus, motibus carnis & tentationibus variis, verbo DEI & ejusdem promissionibus citra omnem animi hæsitationem tenacissime adhæret, innititur, atque hinc efficacissimo solatiô fruitur. Unde etiam possunt & solent homines credentes certitudine infallibili cognoscere, quòd vere credant, licet novâ revela-

tione divinâ id illis non manifestetur. Nam cognitio hæc fit supernaturalis in cordibus verè credentium, & per supernaturalem Spiritus Sancti in eorum cordibus testificationem, teste Paulo Rom. VIII, 16. Imò & fructus fidei genuini, quando nimirum fides est per charitatem efficax, Gal. V, 16. hanc cognitionem & certitudinem supernaturaliter ingenerant. §. 15. 16.

* 12. Quænam est *altera* Fidei *proprietas?*

Altera Fidei proprietas est, quòd habeat sibi necessariò conjunctam *spem* futurorum omnium bonorum in & per Christum fidelibus verè promissorum; itemque *charitatem* (in DEUM, proximum ac seipsum) ex fiducia inseparabiliter fluentem. Fides quippe est per charitatem efficax, l. c. & *sine bonis operibus res mortua*, docente Jacobo c. II, 20. 26. Hinc etiam Fides & omnes virtutes Christianæ ita necessariò conjunguntur, quemadmodum bona fertilisque arbor cum suis fructibus. §. 17.

* 13. Siccine igitur Spes & Charitas, adeoque Bona opera salutis sunt causa?

Hoc quidem inde non sequitur: Neque enim ipsa Spes & Charitas vim meritoriam habent, ut suâ quadam dignitate moveant DEUM ad salutem homini dandam; Neque etiam ita uniunt nobis, aut ad nos, meritum Christi, ut fiat nostrum, nosque juvet: Sed hoc sola fides, prout adprehensio-

hensionem meriti Christi per Adsensum & Fiduciam importat, præstat: ceu suô loco videbitur, §. eod.

14. Quid verò censes, *an* vera & salvifica *fides* interdum *amitti queat?*

Sanè nemini auctor esse velim, ut quis verâ semel præditus fide, securus de eadem in concupiscentiis carnalibus, &c. vivat, sibique persvadeat, se verâ fide nunquam excidere posse. Enimverò sæpius accidit Fidei in Christum, ut ea ab hominibus per peccata contra conscientiam amittatur, non solùm ad tempus, verùm etiam finaliter, sive ita, ut nunquam recuperari possit. Nam

(1.) Spiritus Sanctus, fidelium peccatis contra conscientiam perpetratis offensus, eis, vi justitiæ divinæ, facilè gratiam divinam subtrahere, & eos fide privare potest ac sæpius privat.

(2.) Confirmant id πρόσκαιροι illi, qui ad tempus verè credunt, & tempore tentationis recedunt, de quibus Luc. VIII, 13. Item illi, qui *naufragium fidei* faciunt eamque amittunt 1. Tim. I, 19.

(3.) Huc pertinent in specie *Exempla* (α) *Davidis* qui per adulterium & homicidium *vir mortis* factus iræ videlicet DEI ad exitium usque suum obnoxius; postea tamen acta pœnitentiâ in gratiam receptus est.

(β) *Petri*, qui Christum ita tribus abnegavit vicibus, ut etiam execrationibus uteretur; peccati tamen remissionem pœnitens obtinuit. Plura exempla in sacris passim exstant.

(4.) Denique quòd vera fides etiam finaliter amitti possit, confirmat id Paulus, Ebr. VI, 4. 5. 6. *Impossibile est, qui semel fuerint illuminati*, &c. idem c. X, 26. 29. ut sup. de pecc. in Spir. S. dictum. conf. 2. Pet II, 20. §. 18. & infra c. 4. §. 44.

* 15. *Describas* tandem, quid sit *Fides Actualis?*

Fides Actualis in Christum, est actus intellectus & voluntatis humanæ, quô homo doctrinam de Christo Mediatore, deque gratia DEI seu remissione peccatorum, per illius meritum à DEO impetranda ita cognoscit, ut virtute divinâ, doctrinæ illi conjunctâ non solùm plane persuasus judicet eam esse veram & Christum sibi promeruisse gratiam apud DEUM, verum etiam in Christo, tanquam causa impetrandæ gratiæ apud DEUM adquiescat, consequendæ ipsius remissionis peccatorum & salutis æternæ causâ §. 20.

* 16. Quid autem est Fides *habitualis?*

Fides habitualis est habitus intellectus & voluntatis cognoscendi ea quæ divinitus revelata & credenda sunt, præsertim de Christo Mediatore & gratia DEI ac salute per Christum impetranda, eidemque per & propter revelationem divinam adsentiendi divinitus collatus, consequendæ ipsius remissionis peccatorum & salutis æternæ causa, §. 21.

PAR-

PARTIS III.
CAP. IV.
DE
Regeneratione & Converſione

QUÆST. I.
Quid intelligis nomine Regenerationis?

REgenerationis vox in *amplo* ſuo ſignificatu ſumta, ſignificat ſimul & converſionem & juſtificationem, & deniq; renovationē ſeu ſanctificationem. In *anguſtiori* verò ſignificatu ſumta notat, mox ſolam juſtificationem, mox ſolam renovationem ſive ſanctificationem; mox denique fidei donationem Poſtrema autem ſignificatio, nempe pro fidei donatione ſumta, eſt hujus loci: cui reſpondent, Nova creatio, vivificatio & ſpiritualis reſuſcitatio. Nam regenerati vocantur *nova creatura*, 2. Cor. V, 17. Gal. VI, 15. itemque *primitiæ creaturarum DEI*, Jac. I, 18. Sic quoque renati dicuntur *vivi* Eph. II, 5. Rom. VI, 11. Denique dicuntur etiam *reſuſcitati*, aut *reſurrexiſſe cum Chriſto*, Ephes. II, 6. Col. III, 1. Vid. B. Auct. § 1.

2. Quid igitur eſt Regeneratio?

Regeneratio eſt nativitas è ſupernis & ex Deo, ſive: Regeneratio ex aqua & Spiritu per baptiſmum legitimè adminiſtratum facta, in qua in hominibus adultis juxta atque infantibus confirmatur & generatur fides, ut ex non credentibus, fiant cre-

dentes, & posſideant Regnum DEI, ejusque hæredes juxta ſpem vitæ æternæ efficiantur.

Joh. III, 3. Chriſtus ait ad Nicodemum: *Amen, amen dico tibi, niſi quis natus fuerit è ſupernis, non poteſt videre Regnum DEI.*

v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum DEI.*

Tit. III, 5. *DEUS ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti.*

1. Joh. V. 1. *Omnis, qui credit Jeſum eſſe Chriſtum, ex DEO natus eſt: Et omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum, qui natus eſt ex eo.* §. 1.

*3. Quâ ratione vero fit in hominis regeneratione *mutatio?*

Hæc mutatio ſit trifariam; & quidem (1.) in *Intellectu*, quando ejus ſpirituales tenebræ, impotentia, imperfectio & ineptitudo cognoſcendarum rerum ſpiritualium, cœleſtium & divinarum in verbo DEI & Sacramentis exhibitarum, in lucem ſpiritualem, potentiam perfectionem & aptitudinem mutantur, & vires rectè judicandi de iisdem rebus, atque eis promtiſſimè adſentiendi à DEO conceduntur.

(2.) In *Voluntate*, quando ſimiliter ejus ineptitudo proſequendi bona ſpiritualia & res cœleſtes, in aptitudinem eadem proſequendi, & ejus diffidentia in fiduciam, adeoque τὸ non velle, in τὸ velle mutantur.

(3.) In *Adpetitu* ſenſitivo, quando ejus ineptitudo obſequendi Spiritui & reprimendi deſideria carnis

carnis; in facultatem aliquam & aptitudinem, per quas ille incipit ſub obſequium Spiritus redigi, mutatur. Atque ſic defectus virium ſpiritualium ad fidem aliosque actus ſpirituales neceſſariarum in vires ſpirituales & eorum præſentiam ſeu vitam ſpiritualem, mutatur. §. 4. & 5.

4. Velim quibus dictis talis hominis regeneratio & mutatio probetur?

Joh. VI, 65. *Nemo venire poteſt ad me* (ſcilicet Chriſtum) *niſi ei fuerit datum â Patre meo.*

Eph. V, 8. Vos Epheſii, *eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Rom. VIII, 7. *Sapientia carnis eſt inimica* DEO: *Legi enim non eſt ſubjecta.*

1. Cor. II, 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs* DEI: *Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur.* §§. iisdem.

5. Quomodo porro regeneratio perficitur?

DEUS Trinunus, motus miſericordiâ ſua & merito Chriſti, per verbum ſuum cœleſte atque Baptiſmum mediante Eccleſiæ Miniſtrô adminiſtrata, in hominum cujuscunque ætatis & ſexûs animabus vitâ ſpirituali carentibus, & operationi Spiritûs Sancti contumaciter non repugnantibus, ſalvificam in Chriſtum fidem donat; quò nomen ejus divinum glorificetur, injuſti homines poſthæc juſtificentur,

ad

ad vitam æternam renoventur ac tandem æternùm salventur. §. 6-13.

* 6. Definias tandem cum B. Auctore, quid sit Regeneratio?

Regeneratio est actio DEI, quâ DEUS hominem viribus spiritualibus carentem, sed contumaciter non repugnantem ex mera gratia sua propter Christum per Verbum & Baptismum ex parte Intellectus & Voluntatis viribus Spiritualibus ad credendum in Christum vitamque adeo spiritualem inchoandam donat, aut eas in ipso producit, Justificationis, renovationis & Salutis æternæ consequendæ causa. §. 15.

7. Quid autem est hominis Coversio?

Est talis per Verbum DEI auditum, aut lectum itemque per Sacramenta *legitime administrata*, Spiritus Sancti operatio, mediante qua Spirituales hominum oculi adperiuntur, & corda eorum à spiritualibus tenebris ad spiritualem lucem, nimirum ad agnitionem cœlestis veritatis, atque à potestate Satanæ ad DEUM convertuntur ac certa ratione mutantur, ut remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos per fidem in Jesum Christum accipiant, docente salvatore Christo Act. xxvi, 18. §. 1. 16. & seqq.

* 8. *Quotupliciter* vox *Conversionis* in sacris sumitur.

Con-

Converſionis vox in Scripturis dupliciter accipitur (1.) quando DEUS hominem impium & impœnitentem in pium & pœnitentem convertit: quæ converſio dicitur *Tranſitiva* quia convertendi actio â DEO in hominem tranſit.

(2.) Quando homo ſeipſum ab impietate ſua, ad pietatem, ab impœnitentia ad pœnitentiam &c. convertit, & hæc converſio dicitur *intranſitiva* quæ convertendi actio in nullam aliam tranſit perſonam §. 16.

* Quâ ratione autem in Converſione fit hominis ſeſe convertentis *mutatio?*

Mutatio iſta non eſt Phyſica & naturalis, quâ res una in aliam permutatur; Sed ſpiritualis ſive animi: dicitur aliàs *reditus peccatoris* vel reditus â peccatis ad DEUM; item *averſio* ab iniquitate, evenitque *bifariam* (α) quando homo â peccatis cum actualibus (ſive commiſſionis ſive omiſſionis) habituali originali ſeu connato & adquiſito, rediens, & ſe per veram ac ſeriam pœnitentiam ab iis avertens, ad veram in Chriſtum Mediatorem ſuum fidem, qua DEO, peccatis offenſo, homo peccator reconciliatur, ſeſe totô corde, totâ anima totisque viribus convertit.

(β) Quando homo reſipiſcens, omnes illas res mediantibus quibus variæ committuntur peccata v. g. Satanam, idola, divitias, ſcorta, homicidia &c. infucato corde penitus deſerit ac ad ſo-

solum DEUM Trinunum in sincera pietate & fide non ficta sese confert. §. 17 - 22.

* 10. Edissere porrò quomodonam *peccata* hominum in Conversione *aboleantur*.

Peccata quidem actualia non abolentur nec in nihilum rediguntur Physicè, seu naturaliter, atque ita, ut planè non sint; abolentur tamen *moraliter* seu ita, ut non amplius ad æternam damnationem imputentur. *Originale* verò peccatum aboletur & moraliter & Physicè ac realiter, si non penitus, saltem certô modo & ratione Dominij, ut non amplius regnet. Ad hanc abolitionem autem tam peccatorum actualium, quam originalis requiruntur in primis duo:

(α) Ut resipiscens peccator perpetrata à se peccata seriò atq; ita *retractet* ut ea non solùm quò *Intellectum* verè agnoscat, ac de medio mediisque quibus aboleantur seriô studeat. Sed & quantum ad *voluntatem* adtinet, veram displicentiam peccatorum eorumque cum dolore detestationem habeat Exemplo *Davidis* peccata sua seriò & agnoscentis & detestantis Psalm. V. 3. seq. XXXII. 3. seqq. XXXVIII. 4. seq. LXXXVIII. 2. 17. seq. itemque *Petri* amarè flentis, Matth. XXVI. ult. Luc. XXII, 62. 3. ut resipiscens peccator dilig entissimè studeat pro abolendis peccatis suis irato DEO satisfacere. Hæc autem Satisfactio non aliter fit, quàm per veram fidem in Christum mediatorem ejusque meritum & satisfactionem pro peccatis nostris

ſtris ſibi hæc omnia adpropriantem. Nam fides adprehendens meritum & ſatisfactionem Chriſti offenſo peccatis noſtris DEO nos plenisſime reconciliat, & DEUM, ad nos amore & gratia ſua complectendos demulcet. Atque ſic duo hæc requiſita, ad ſinceram Converſionem ſemper concurrere oportet. Contritio quippe ſola, ſine ſatisfactione Chriſti fide apprehendenda, nec quidquam efficit nec offenſam irati DEI tollit. §. 22. 23. 24.

* 1. Paulò *ſpecialius*, amabò, hanc *abolitionem* enucleES?

Speciatim (α) in *Intellectu defectus* lucis ſpiritualis & virium credendi promiſſionibus divinis & meritum Chriſti resque alias cœleſtes amplectendi, itemq; *connata propenſio* ad temerè de rebus divinis judicandi aboletur in converſione per *operationem* fidei & pium voluntatis adfectum credendi divinâ gratiâ in nobis productam. Sic quoque *ignorantia* Articulorum fidei, tollitur per eorum *cognitionem*, item *errores* & falſæ opiniones in doctrina fidei ac morum, tolluntur per ſuccedentem adſenſum earum doctrinarum.

(β) In voluntate ſimiliter, propenſio in malum & defectus virium ad Spiritualia bona ſalutariter amplectenda, tolluntur per ſeriam peccatorum diſplicentiam, nec non fiduciam in Chriſti meritum ac denique per ſpem conſequendæ gratiæ DEI & ſalutis æternæ. §. 25. 26.

* 12.

* 12. Sed quid, quæso, de Lucta carnis & Spiritus circa hominis conversionem statuis?

Simplicissimè, juxta Formulam Concordiæ statuo, quòd, simul ac prima initia fidei & Conversionis homini dantur; subitô incipiat Lucta sive Pugna non Rationis & Adfectuum, aliàs Naturalis Pugna dicta, quando, Honestas naturalis cum Adpetitibus inordinatis certat, & cogitationes se mutuo accusant, juxta Rom. II, 15. Sed *Lucta Spiritualis* seu Lucta carnis & Spiritus, quando scilicet non agimus id, quod volumus, sed quod odimus, facimus, querulante Paulô Rom. VII, 15. seqq. Enim verò hoc certissimum est, in vera *conversione* immutationem, renovationem & motum fieri oportere in hominis intellectu, voluntate & corde; ut nimirum hominis mens peccata agnoscat, iram DEI metuat à peccato se avertat, promissionem gratiæ in Christo agnoscat & adprehendat, pias cogitationes animô agitet, bonum propositum habeat atque diligentiam in moribus suis regendis adhibeat & (sic) contra carnem (talia fugientem) pugnet. Ubi enim nihil horum fit, ibi procul dubio etiam non est vera ad DEUM conversio §. 28.

* 13. Quibus porrò actibus Conversio hominum perficitur.

Actus isti, sunt *partim Spirituales* (ab animalibus, res naturales ac sensibus subjectas, juxta tamen naturæ & bonitatem lumine naturæ cognitam

tam dijudicantibus, verè diſtincti) qui circa res merè Spirituales ac Divinas animalique homini incognitas, in Scriptura tamen Sacra revelatas, nempe myſteria Trinitatis, incarnationis, ſatisfactionis Chriſti, &c. occupantur & non aliunde homini obtingunt, quàm ex Supernaturali Spiritûs Sancti in cordibus hominum operatione: *Partim* etiam *Pædagogici* ſeu actiones Eccleſiaſticæ externæ, quæ in membrorum externorum & animæ operatione conſiſtunt v. g. templum accedere, Verbum DEI audire, legere, id meditari, ſcrutari libenterque amplecti §. 31.

14. Quid tandem eſt *Pœnitentia?*

Pœnitentia eſt non tantum qualiscunque Pœnitentia & ad DEUM converſio; Sed eſt vera & genuina cordis hominis peccatoris contritio, ſolicitudo, diſplicentia ac dolor de perpetratis peccatis mediante lege divina & Spiritu Sancto excitatus ac cum ſincera in Chriſtum Mediatorem fide conjunctus §. 31.

15. Quot ſunt *Partes* Pœnitentiæ?

Duæ duntaxat, nimirum Contritio & Fides.

16. Quid igitur eſt *Contritio?*

Contritio eſt ſerius reſipiſcentis animi dolor ac pavor conſcientiæ cum ſeria peccatorum agnitorum diſplicentia conjunctus, quô, velut malleo cor peccatoris durum & in malo obfirmatum frangitur aut conteritur (juxta Pſalm LI, 19, CXLII. 3. Eſa LXI, 1. LXVI, 2. LVII, 15. & XXXVIII, 3.) §. eod.

Seu contritio est cordis, propter agnita ex lege divina peccata, iram DEI & justissimas pœnas expavescentis & dolentis seria ac vera tristitia.

17. Quid autem est *Fides?*

Fides, hôc loco intelligitur fides in Christum & ejus meritum, per Spiritum Sanctum in promissionibus Evangelicis fundata. Nimirum quando homo sub universalibus propositionibus, & dictis Scripturæ de Christo mediatore & gratia per ipsum impetranda, ad se ipsum adplicat & credit Christum esse passum & mortuum, pro se quoque & suis peccatis, retractatis. Atque hæc est Conversionis pars præcipua, & ejus quasi anima, sine qua conversio vera esse nequit §. eod,

18. Quâ ratione verò tota hominis conversio perficitur.

Solus DEUS Tinunus immensâ sua misericordia & infinito Christi merito, motus, per Verbum legis & Evangelii in cordibus hominum adultorum, per peccata à DEO aversorum, & operationi Spiritus Sancti contumaciter non repugnantium, agnitionem peccatorum, cum serio de illis dolore & fidem in Christum operatur, ut ii gratiâ DEI & merito Christi, sincera fide adprehendendo, justificentur, salutem æternam consequantur atque, sic Numen divinum glorificetur §. 32. 33. 34. 40. 41. 42,

* 19. Ergone homo *per vires* suas naturales ad sui conversionem nihil conferre & *& cooperari* potest?

Sanè

Sanè homo per naturales vires suas nihil quicquam (aliquid efficiendo) confert, aut conferre potest ad sui conversionem, sive inchoandam sive perficiendam, sive etiam ad actus Spirituales (solum à Spiritu Sancto exspectandos v.g. adsentiri & credere verbo ac promissionibus divinis &c.) exercendos. Interim tamen actus quosdam *Pædagogicos*, quoad externum conversionis mediorum usum, exercere propriis viribus potest, v. c. accedere ad loca sacra, ubi verbum DEI docetur; arrigere aures, advertere cogitationes ad Verbum audiendum &c. Id quod & omnes impii & irregeniti præstare possunt; Non autem se ipsos convertere, exemplo Herodis, qui Johannem Baptistam libenter audiebat. Marc. VI, 20. it. Sergii Proconsulis Act. XIII, 7. conf. Rom. X, 2. Amos. VIII, 11. seqq. 1 Reg. X, 11. §. 35.

*20. Quid est *liberum*, & quid *Servum*, *Arbitrium*?

Liberum Arbitrium est vis & facultas activa in intellectu & voluntate, mediante quâ intellectus & voluntas, positis omnibus ad agendum requisitis circa res rationi subjectas & naturales, indifferenter & pro lubitu suo versantur ac modò hoc, modò illud, pro lubitu suo, circa illas res deligunt & amplectuntur. Seu: Est vis & facultas mentis propriô motu sine ulla coactione bonum & malum vel eligendi, vel repudiandi. *Servum arbitrium* verò est, ad peccandum proclivitas & ad eligendum bonum Spirituale inhabilitas. §. 36.

* 21. Quotuplex est Liberum Arbitrium.

Inprimis quintuplex esse potest: Nam libertas alia 1. est ab *obligatione* quæ est immunitas â norma atque regula agendi externa, dum quis non tenetur unquam juxta aliquem ab alio quopiam sibi præscriptum canonem & regulam se gerere: & hæc Libertas soli D E O competit, cui nulla lex â majore Ejus præscribi potest.

2. *Coactione* & *vi* quæ nihil aliud est, quam Exemtio à violentia exteriori, ceu voluntas cogi non potest ab intellectu, Cæsar ab Electoribus, Principibus vel aliis Magnatibus; hinc etiam non solùm in DEUM vel Angelos; sed & in homines ac certa ratione in bestias hæc libertas cadit.

3, â miseria quæ est immunitas ab omni peccato ejusque omni pœna atque adeo àb omnibus animæ & corporis miseriis, ærumnis & omnibus malis. hæc Libertas in solos cadit cœlites & beatos fuitque etiam malorum Angelorum ac Protoplastorum nostrorum, sed tantum olim ante eorum lapsum. Dicitur aliàs *Libertas gloriæ* Rom. VII, 26. VIII, 21.

4. *Libertas* alia est *à necessitate*, quâ quis, positis ad agendum omnibus requisitis aliquid pro lubitu suo potest agere velleque & non velle agereve; malum vel bonum eligere aut non eligere. Et hæc dicitur rursum, vel

a. Libertas contrarietatis, quando quis potest hoc vel illud agere, ut legere vel scribere, bonum vel malum agere. Et hæc, quâ bonitatem

tem vel malitiam veram, non cadit in DEUM, vel Angelos bonos malosve; ſed in ſolos homines. Nam DEUS & Angeli boni, non niſi bene, angeli vero mali, non niſi malè agere poſſunt. Hæc *libertas* dicitur aliàs *Specificationis*, ſeu quoad ſpeciem actûs: quia non ordinatur ad certam ſpeciem rei vel actionis cujusquam.

β. Alia libertas à neceſſitate dicitur, *libertas contradictionis*, quæ verſatur inter agere & non agere, agere hoc, non illud: quando nimirum quis poteſt aliquid agere & non agere, ut legere & non legere &c. Dicitur aliàs *libertas exercitii.*

γ. Alia denique libertas à neceſſitate, dicitur *libertas modi*, quando quis hôc vel illo modo unam eandemque rem agere poteſt; ut legere clariùs & remiſſiùs.

5. Tandem libertas & liberum Arbitrium eſt à *dominio peccati*, quod nihil aliud eſt, quàm exemptio à ſervitute mali, ſeu peccati inhærentis; & tantum regenitis tribuenda venit. Dicitur aliàs *libertas gratiæ* Rom. VI, 18. Atque hic quintus ſignificatus eſt hujus in primis loci: quamvis & priores certô modo huc pertineant. §. 36. & B. Dannhau. Hodoſoph. cum aliis in h. l.

*42. Supereſtne igitur omnibus hominibus ad ſui converſionem *liberum Arbitrium?*

Quanquam circa res rationi ſubjectas & naturales libertatem aliquam homini poſt lapſum ſu-

pereſſe non negamus, v. c. DEUM ex creaturis cognoſcere, Eum propter bonorum omnium datorem; itemque proximum, propter ejus virtutes, beneficia &c. diligere; verbum DEI cum Herode libenter audire &c. Nihilominus tamen in *ſpiritualibus* rebus, à ſenſibus & lumine rationis remotis, aut etiam in rebus rationi ſuô modo ſubjectis, ſed ſub ſpirituali quadam ratione tractandis, *nullum ſupereſt liberum arbitrium*. Nam homini peccato Originali infecto nullæ penitus ſuperſunt vires ex parte intellectûs & voluntatis, ad rectè agendum circa bonum ſpirituale. Enim vero *Intellectus* ipſe ita eſt corruptus & quaſi cœcus, ut voluntati, bona ſpiritualia amplectenda, non ita, ut par eſt repræſentare aut commendare poſſit. Et quamvis doctrina fidei ſufficienter ac perſpicuè in verbo propoſita intellectu proponatur, ut nihil deſit, quo minus adprehendi queat, tamen intellectus ex ſuis viribus nequit immotum ac veræ fidei adſenſum præbere. Voluntas autem non ſolùm quod naturâ ſua animæ potentia cœca eſt, atque in ea, quæ intellectus, ut decet, non proponit, ferri non poteſt; verum etiam eſt alienior, *voluntas*, à bonis ſpiritualibus, ac ad carnalia, temporalia, vana caducaque pronior. Atque hinc patet, Converſionem hominum unice à DEI gratia, Chriſtique merito pendere. DEUS quippe ſolus eam per verbum Legis & Evangelii in hominibus omnibus, ſibi pertinaciter non reſiſtentibus, & media converſionis non adſpernentibus, operatur. §. 36. 37, & Part. II. cap. 2. §. 13.

23. Pro-

23. Proba Scripturæ fundamentis in Conversione non *liberum* sed *Servum Arbitrium dari?*

Joh, VIII, 34. *Quisquis operam dat peccato, servus est peccati.*

Rom. VI, 16, 17. & 18. *An nescitis, quòd cui accomodatis vos ipsos servos ad obediendum, ejus servi estis, cui obedistis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad justitiam. --- Fuistis servi peccati, ---- Et liberati à peccato servi facti estis justitiæ.*

2. Pet. II, 19. *A quo quis superatus est, illius est servus.* Conf. 2. Cor. III, 5. Rom. VII, 14. 15. 23.

24 Proba etiam ex scripturis Conversionem hominum unicè à DEO fieri?

Jerem. XXXI, 13. *Converte me Domine, & convertar.*

Ezeh. XXXVI, 26. *Dabo vobis* (inquit DEUS) *cor novum & Spiritum novum ponam in medio vestri. Auferam cor lapideum de carne vestra & dabo vobis cor carneum.*

Psalm. LI. *Cor mundum crea, in me DEUS, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Joh. VI, 29 *Hoc est opus DEI,* (inquit Christus) *ut credatis in eum, qui misit me.*

Ibid. v. 44 *Nemo potest venire ad me* (convertendo se ad fidem in Christum) *nisi pater, qui misit me, traxerit eum.*

1. Cor. II, 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI: Stultitia enim sunt illi, & non potest intelligere; quia spiritualiter dijudicantur.*

Cap. XII, 3. *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto.* Conf. 2 Cor. VIII, 5.

Phil. II, 13. *DEUS est qui operatur in nobis velle & perficere, pro bona voluntate suâ.*

* 25. Quid autem & quotuplex est *Gratia DEI*?

Gratia DEI non est gratuitus DEI favor propriè dictus; sed est donum Ejus re ipsa exhibitum. Dividitur verò gratia in primis in *prævenientem*, *Operantem*, & *cooperantem* §. 37.

* 26. Quid vero est *Gratia* DEI *præveniens*?

Gratia DEI præveniens est inspiratio primæ cogitationis sanctæ & pii desiderii à DEO convertendi, hominis arbitrium & consensum liberum præveniens. Atque hinc etiam dicitur præveniens, quòd prior sit nostrô libero consensu; seu: quod præveniatur hominis convertendi arbitrium. Potest etiam dici *gratia excitans* & *præparans*: quod scilicet homo peccator ex spirituali somno, aut potius morte peccati, nempe securitate carnis, ad sanctam cogitationem & pium desiderium divinitus inspiritatum à DEO excitetur; & quod cogitatio atque desiderium hocce mentem & voluntatem hominis ad amplectenda bona spiritualia, & ad ulteriores operationes sacras, ex quibus incrementa

ta capiat converſio, quodammodo præparent. §. eod.

* 27. Quid autem eſt *Gratia DEI Operans?*

Gratia operans, eſt illa DEI Trinunius operatio, quæ initium converſionis proximè ſequitur, & ad ejus continuationem ſpectat: Per quam fit, ut homo conatu quodam, quamvis languidô, jam ad Chriſtum Mediatorem ac promiſſiones de gratuita peccatorum remiſſione propter Chriſtum tendat, & contra dubitationes luctetur. juxta nonnullos hæc gratia, ad initium quoque converſionis refertur, & cum gratia præveniente atque excitante quoad rem coincidit. Diciturque operans: quod ſine nobis, aut ſine noſtro libero conſenſu in nobis operetur §. 10.

* 28. Aſt quid tandem eſt *Gratia DEI Cooperans?*

Gratia Cooperans, eſt illa DEI operatio quæ Intellectum promiſſionibus gratiæ jam quodammodo adſentientem, & voluntatem in Chriſto confidentem, adjuvat & confortat, ſeu corroborat, adeoque cum voluntate, jam per acceptas ante, ut ut debiles vires concurrente, operatur. Aliis tamen cooperans gratia dicitur, quâ DEUS cum homine jam converſo concurrit, vires collatas conſervando, augendo, &, ne deficiat à fide adjuvando. §. eod.

* 29. Siccine igitur *homo* in ſui ad DEUM converſione *nihil* præſtat?

Sanè homo in *initio* suæ conversionis merè passivè se habet, & ad sui conversionem nihil conferre potest; In *progressu* verò conversionis, per acceptas jam ante novas vires etiam activè se habet & gratiæ divinæ cooperari incipit. Non quidem collateraliter & per suas vires proprias, sed subordinate adjutus scilicet adsistentiâ Spiritûs sancti. Atque sic DEUS per verbum suum, & adflatum divinum nos prævenit, movens & impellens voluntatem. Post hunc autem motum voluntas non habet se pure passivè; sed mota & adjuta à Spiritu sancto non repugnat, sed adsentitur & fit ΣΥΝΕΡΓΟΣ DEI. Hinc rectè dicitur Conversionem hominis fieri, præeunte Gratiâ DEI & comitante voluntate hominum: quæ tamen συνεργία & cooperatio humana semper pendet à Gratia DEI: â qua si deseratur cooperatio, cessant & amittuntur etiam dona. §. 38.

* 30. Quæritur porro: Utrum *Gratia* DEI in conversione *resistibilis*; an verò *irresistibilis* est?

Gratia illa, quâ DEUS conversionem operatur non est irresistibilis seu talis cui homo propriis suis viribus resistere & se opponere nequeat: sed resistibilis est quatenus videlicet homines non solum mediis conversionis, nempe Verbo Legis & Evangelii eorumque usui externo; verùm ipsi gratiæ Conversionis in hominis mente operaturæ malitiosè juxta atque naturaliter repugnare possunt, & sæpe solent: atque ita conversionem suam seu inchoandam,

dam, ſeu perficiendam impediunt. Equidem *naturalis & congenita repugnantia*, ex corrupta hominis natura proximè fluens omnibus mortalibus eſt communis; verùm tamen per gratiam, verbo DEi conjunctam in ipſa Converſione ſenſim minuitur tandemque vincitur, non adeo impediens Converſionem. Aſt contra *malitioſa, moroſa, voluntaria, habitualis & pertinax repugnantia*, peculiari hominis culpâ & datâ opera accerſita, ſicq; ex malitia ſponte contracta; malitioſa, inquam, ſicut non omnibus irregenitis æquè eſt communis; ita ab ea abſtinere poſſunt homines ex viribus liberi Arbitrii. Aut ſi nunc, poſt habitus vitioſos contractos, abſtinere non poſſunt; ante tamen, ſi recta educatio & adſuefactio ad virtutes acceſſiſſet, eâ quadantenus carere potuiſſent. In aliis major ac pertinacior, in aliis autem minor ac minus pertinax eſt hæc repugnantia prout ſcilicet ipſa malitia adquiſita variat. §. 39.

31. Confirma, quæſo, Scripturæ teſtimoniis, *Gratiam* DEI eſſe *reſiſtibilem?*

Eſa. LXV, 1. 2. & 5. *Ecce ego, ecce ego, inquit Jehova, ad gentem, quæ non invocabat nomen meum, expandi manus meas totâ die ad populum incredulum qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas. Qui dicunt: recede à me, non adpropinques mihi, quam immundus es: Iſti fumus erunt in furore meo ignis ardentis totâ die.*

Jerem. VIII, 5. 6. *Quare ergo averſus eſt populus iſte* (Iſraël) *in Jeruſalem averſione contentioſâ? Adprehenderunt mendacium & noluerunt reverti.*

Atten-

Attendi & auscultavi, inquit Dominus; nemo quod bonum est loquitur: nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo.

Matth. XXIII, 37. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti.* Conf. Psalm. LXXXI. 14. Prov. I, 24. Ezech. XIIX, 31. XXII, 2. Luc. VII, 30, Joh. V, 40. 42.

32. Quid porro de *sera* statuendum *Pœnitentia?*

Pœnitentia sera si modò seria veraque sit, etsi serò vel sub finem vitæ demum contingat, salusaris tamen esse potest. DEUS enim sine restrictione gratiam omnibus verè resipiscentibus offert. Interim tamen periculosissimum est diu pœnitentiam differre. *Sera* quippe *pœnitentia rarò est vera. latet unus dies* (mortis) *ut observentur omnes. Qui veniam promisit, crastinum non promisit* proverbia habent. §. 45.

33. Quinam tandem est *fructus* Conversionis?

Consequens seu fructus conversionis ac pœnitentiæ est *Nova obedientia*, adeoque propositum serium non peccandi, sed pie vivendi: nascituruc non tam ex contritione, quàm ex fide. Huc pertinet Johannis monitum Matth. III, 8. *Facite fructus dignos pœnitentia.* Idem Johannes docet 1. Epist. III, 9. *qui*, inquit, *natus est ex DEO* (quatenus

tenus is renatus eſt, & quamdiu talis manet) *peccatum non facit* (peccatum ſcilicet contra conſcientiam, & ex deliberato animi propoſito conſilioque profectum)

34. Cur vero Nova Obedientia Pœnitentibus eſt *neceſſaria?*

Neceſſitas novæ Obedientiæ patet inde, quòd Contritio ſeria propoſitumque peccandi, nunquam unà conſiſtere poſſint: cum contritio ſemper ſeriam peccatorum diſplicentiam; propoſitum vero peccandi, complacentiam in peccatis importet. Adeoque duo hæc in una perſona, unô eodemque tempore nunquam ſimul locum habere valent. Sciendum porro, propoſitum peccata fugiendi, eaque odio habendi & non peccandi conſtans ac firmum, â viribus gratiæ DEI, & motivo ſpeciali charitatis ex fide per Evangelium accensâ proficiſcentis pendere. §. 43.

*35. Poſſuntne Renati & Converſi *gratiâ DEI excidere* eamque rurſum conſequi?

Fieri omnino poteſt, & fit nonnunquam, ut homines renati & converſi, non ſolum ſemel, ſed pluribus vicibus è ſtatu gratia & renaſcentiæ per peccata excidant. Nam non ſolum poſt primam, vel ſecundam regenerationem; ſed ſemper intra renatos eſt prava concupiſcentia: quæ licet per Converſionem ne amplius ita regnet, ut antea, infirmetur; non tamen vel per primam, vel per ſecundam tertiam aut quartam converſionem ita peni-

penitus subigitur, ut se Spiritui non obponat, aut dominium adfectet, teste Paulo Gal. V, 17. *Caro enim concupiscit adversus Spiritum; Spiritus autem adversum Carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, faciatis.*

Rom. VII. 18. 10. 20. *Scio, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo, bonum, hoc facio; sed quod nolo, malum hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: jam non operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.* Hinc facile fieri potest, ut *concupiscentia concipiens pariat peccatū, peccatum vero mortem*, Jac. I, 15. *Voluntas* autem renatorum in hac vita non penitus in bono confirmatur, ut à periculo lapsûs plané eximatur: perfectio quippe nostra in hoc mundo nimis imperfecta & tantum inchoata; in cœlo autem erit consummata, cum *volentibus* in hoc mundo *facere bonum, semper adjaceat malum*, Rom. VII, 21. conf. v. 14. seqq. Lapsi tamen omnes per conversionem, etiam multoties iteratam, in pristinum gratiæ divinæ statum, modo seriò resipiscant, restitui possunt. DEUS quippe gratiam suam, & remissionem peccatorum sine restrictione omnibus offert peccatoribus, nullâ ratione habitâ, utrum unâ, an pluribus vicibus fuerint lapsi? Quin jure jurando adseverat, se nolle mortem ullius peccatoris sed potius velle, ut omnes actâ pœnitentia vivant, Ezech. XIIX, 32. XXXIII. 11. 1. Tim. II, 4. 2. Pet. II, 9. (ut sup.) §. 44. conf. cap. 3. §. 18. quæst. 14.

* 36. Profer ultimò *Converſionis Tranſitivæ* Definitionem?

Converſio tranſitivè accepta (ſeu quando DEUS convertit hominem) eſt actio DEI, quâ DEUS in homine adulto, & vel nondum antea renato, vel poſt regenerationem per peccata à ſe (DEO) averſo, ejusque intellectu ac voluntate ex mera ſua gratia propter Chriſtum, per Verbum Legis peccatorum agnitionem cum ſerio de iis dolore, verbô Evangelii autem fidem in Chriſtum cum propoſito vitam emendandi, operatur: juſtificationis & vitæ æternæ ipſi conferendæ causâ. §. 46.

* 37. Adfer & *Intranſitivæ* Converſionis *Deſcriptionem?*

Converſio intranſitivè ſumta (nimirum quâ homo ſeipſum ad DEUM convertit ſeu Pœnitentia) eſt actio hominis immanens, quâ is gratia divina præventus & porro adjutus, peccata ſua ex lege agnoſcit, de illis dolet, eaque deteſtatur, promiſſiones item de gratuita peccatorum ſuorum remiſſione propter Chriſtum in Evangelio oblatas, fide adprehendit, & fiduciâ in Chriſti merito poſitâ ſeſe erigit, propoſitum vitæ melioris habens, remiſſionis peccatorum & ſalutis æternæ conſequendæ causâ. §. 48.

PAR-

PARTIS III.
CAP. V.
DE
JUSTIFICATIONE.

QUÆST. I.

Quid nomine Justificationis intelligis?

QUamvis vox Latina *justificare* composita sit ex nomine *justus* & verbo *facere*; non tamen ex usu loquendi, præsertim Scripturæ Sacræ, crebris exercitiis comparatæ *justitiæ infusionem* denotat. Sed propriè hoc locò denotat significationem forensem, & actum illum, quò DEUS Judex, hominem peccatorem, adeoque reum culpæ & pœnæ, in Christum tamen credentem, justum pronunciat, & à peccato eum absolvit. Vid. B. Auct. §. 1.

2. Quid est, quâ rem fusiùs Justificatio?

Justificatio est judicialis DEI trinunius actio, quâ DEUS hominem quemlibet peccatorem resipiscentem ac renatum, ex immensa sua bonitate seu favore & mera sua gratia gratis propter Christi meritum verâ fide ab homine resipiscente adprehensum remittendo ejus peccata, seu non imputando, justum reputat, pronunciat, atque adeo ex injusto, justum facit, & ad vitam æternam divinæ glo-

gloriæ suæ causâ, acceptat. §. eod. item 6--14. Seu brevius: Est gratuita peccatorum remissio, & justitiæ Christi per fidem facta imputatio.

* 3. Quâ ratione vero fit hominis Justificati ex injusto, in justum *mutatio?*

Status seu Reatus iræ divinæ ac pœnæ peccatoris, tam temporalis, quàm æternæ, judicialiter per justificationem, mutatur in Statum gratiæ divinæ: in quo donamur à DEO justitiâ, non quidem nobis inhærente & infusâ; nostrâ tamen, quâ justi coram DEO habemur, ac si ipsimet legem DEI impleviſſemus, & pro peccatis nostris satisfeciſſemus. Hinc ex filiis peccati tam Originalis, quàm actualis, fimus filii sanctitatis; ex filiis iræ, mutamur in filios gratiæ; ex filiis injustitiæ mutamur (licet non naturaliter & propriè; tamen spiritualiter) in filios justitiæ. *DEUS enim Eum,* (nempe Christum) *qui non novit peccatum, fecit peccatum*, (i. e. peccatorem) *ut nos efficeremur justitia DEI in eo*, docet Paulus 2. Cor. V, 21: Item ait ad Philipp III, 9. *se non habere justitiam suam, quæ est ex Lege, sed eam, quæ est per fidem Christi, justitiam ex DEO per fidem.* §. 3 & 4.

* 4. Annon & ipsum Justificationis *processum* delineare potes?

Processus justificationis talis est: DEUS nimirum, tanquam justissimus & omniscius Judex, sic cognoscit causam hominis à lege Mosis adcusati, & peccatorum convicti, simul tamen in Christum

vere credentis: Sic, inquam, cognoscit, ut illum (hominem) propria quidem justitiâ destitui, & mortis ac damnationis æternæ reum esse deprehendat. Nihilominus tamen Christi meritum fide adprehensum, ita ad eum pertinere judicat eique vere imputat, ut eum propterea non ampliùs pro peccatore habeat, sed ab accusatione Legis & obligatione ad pœnam, absolvat: ut nempe locum habeat illud Pauli:

Rom. VIII, 33. 34: *Quis accusabit & in jus vocabit crimina adversus electos DEI? DEUS est qui justificat. Quis est, qui eos condemnet?* i. e. nemo.

Ubi tamen hoc præterea sciendum: quòd hoc locô non intelligatur totalis expulsio peccatorum ex homine; sed obligationis, (ceu in contractibus fit inter creditorem & debitorem ad solvendum debitum, quasi vinculi cujusdam talis relaxatio talisque debiti remissio, qualis aliàs, cum inter homines fit, etiam chirographi restitutionem importans. Aut cum scribit creditor, se remittere æs alienum debitori, adceptumque ferre, ac si revera esset solutum: atque sic declarat se nunquam suum debitorem eapropter compellaturum. Sic quoque DEUS dicitur *oblivisci peccatorum* nostrorum, *projicere ea in profundum maris*, ac *post tergum rejicere*, scilicet ἀνθρωποπαθῶς.

Ezech. XIIX, 21. & 22. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet & non morietur.*

Omni-

Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est non recordabor: in justitia suâ, quam operatus est, vivet.

Michæ. VII, v. 18. & 19. *Quis DEUS similis tui, qui aufers iniquitatem & transfis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum: quoniam volens misericordiam est. Revertetur & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.*

Esa. XXXVIII, 17. *Domine, ecce in pace amaritudo mea amarissima; tu autem eruisti animam meam, ut non perirem; projecisti post tergum tuum omnia peccata,* §. 5. 11.

§. Ostendas, velim, in quibus nam scripturæ locis Justificatio Trinuni DEO adscribatur?

Justificatio tribuitur *DEO Patri:* Joh. VIII. 15. & 16. Christus ait: *Ego non judico quenquam. Et si ego judico, judicium meum verum est: quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.*

Rom. VIII, 33. *Quis accusabit adversus electos DEI? DEUS* (est) *qui justificat.*

DEO Filio justificatio hominum peccatorum tribuitur; in primis autem &c. Mediatori inter DEUM & homines.

Matth. IX, 6. Scribæ, *ut sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Christus paralytico: Surge & ambula.*

Luc. VII. *Jesus dixit ad Mulierem peccatricem: Remittuntur tibi peccata.*

1. Tim. II, 5. 6. *Unus* DEUS, *unus & Mediator* DEI *& hominum, homo Christus Jesus. Qui dedit redemtionem semet ipsum pro omnibus,* DEO *Spiritui Sancto* Justificatio hominum peccatorum adscribitur.

1. Cor. VI, 11. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi & in Spiritu* DEI *nostri.* §. 6.

6. Profer Scripturæ dicta, quibus probes, nos Gratiâ DEI justificari & salvari?

Ante omnia sciendum, vocem *Gratiæ* in Scriptura sacra, mox expresse poni; mox per dilectionem, mox per misericordiam, mox denique per bonitatem exponi.

Eph. II, 8. *Gratia salvati estis per fidem, non ex operibus, ne quis glorietur.*

Rom. III, 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius* (DEI) *per redemtionem, quæ est in Christo Jesu.*

C. XI, 5. 6. *Reliquiæ* (Abraham) *secundum electionem gratiæ* DEI *salvæ factæ sunt. Si autem ex gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non esset gratia.*

Joh. III, 16. *Sic* DEUS *dilexit mundum* &c.

Ephes. II, 4. 5. DEUS *dives in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati.*

Luc. I, 77. *Remissio peccatorum nobis obtingit per viscera misericordiæ* DEI *nostri,*

Tit.

Tit. III. 4. 5. *Postquam bonitas* &(Φιλανθρωπία) *erga homines amor adparuit Salvatoris nostri* DEI, *non ex operibus, quæ sunt in justitia; sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit.*

7. Quibus verò Scripturæ Sacræ dictis probabis, *Christum* pro nobis DEO Patri *satisfeciſſe*, atque sic nos Ejus *meritô* fide adprehenso justificari?

Esai. XLIII, 15. Christus Ipse per Prophetam ad suum populum sic perhibet: *Servire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum Ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

C. LIII, 4. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum, quasi leprosum, & percussum à* DEO *& humiliatum.*

V. 5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: adtritus est propter ulcera nostra: disciplina pacis nostræ super eum & livore Ejus sanati sumus.*

V. 6. *Omnes nos, quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*

V. 11. (DEUS ait) *In Scientia sua justificabit Ipse justus servus meus multos & iniquitates eorum portabit.*

V. 12. *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium divi-*

dividet spolia, ideo, quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.

Matth. XX, 28. *Filius hominis non venit ut sibi ministretur, sed ut ipse ministraret & daret animam suam (λύτρον ἀντὶ πολλῶν, i. e.) pretium redemtionis pro multis.*

Rom. III, 24. *Justificamur gratis per gratiam, per redemtionem, quæ facta fuit per Christum Jesum, quem DEUS proposuit (ἱλαστήριον i. e.) propitiatorium per fidem in sanguine suo.*

1, Cor. I, 30. *Jesus Christus factus est nobis à DEO sapientia & justitia & sanctificatio & redemtio.*

2. Cor V, 21. *Eum, qui non novit peccatum DEUS pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia DEI (i. e. justi coram DEO) in ipso.*

1. Tim. II, 6. *Christus dedit semet ipsum (ἀντίλυτρον, i.e.) pretium redemtionis vicarium pro omnibus.*

1. Pet. I, 18. 19. & 20. *Scientes, quòd non corruptibilibus, auro vel argento redemti estis, de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi & incontaminati: prægogniti quidem ante mundi constitutionem; manifestati autem novissimis temporibus.*

1. Joh I, 7. *Sanguis Jesu Christi filii DEI, emundat nos ab omni peccato.*

1. Joh. II, 2. *Christus est propitiatio &c.* §. 8.

§. Con-

8. Confirma etiam immotis Scripturæ fundamentis nos *fide* quoque & quidem SOLA FIDE coram DEO justificari?

Gen. XV, 6. *Credidit Abraham* DEO, *& imputatum est illi ad justitiam.*

Act. XIII, 38. *Notum sit vobis, viri fratres, quia per hunc* (Jesum Christum) *vobis remissio peccatorum adnunciatur, & ab omnibus quibus non potuistis in Lege Mosi justificari: in HOC omnis, qui credit, justificatur.*

Rom. II, 17. *Justitia* DEI *in Evangelio revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus ex fide vivet.* Habac. II, 4.

Rom. III, 22. *Justitia* DEI *per fidem Jesu Christi, in omnes, qui credunt in eum.*

V. 28. *Arbitramur* (i. e. certò colligimus) *hominem justificari per fidem* SINE *operibus Legis.*

C. IV. 5. *Ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui justificat impium, reputatur* (i. e. adscribitur) *fides ejus ad justitiam.*

Gal. II, 16. *Scimus, quòd non justificetur homo ex operibus Legis* NISI *per fidem Jesu Christi: Et nos in Christum credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.*

C. III, 24. *Lex Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur: At ubi venit fides, jam non sumus sub Pædagogo. Omnes enim filii* DEI *estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.* §. 9.

* 9. Aſt, cum Juſtificatio noſtra, & DEI Gratiæ, & merito Chriſti, *quî* ergo porro *fidei noſtræ* adſcribatur?

Sanè juſtificationis noſtræ cauſas (ſubordinatas tamen, quæ ſemper ſimul ſubſiſtere poſſunt, nec ſibi invicem contradicunt) in ſacris plures quàm unam deprehendimus. Nimirum gratia Trinunius DEI nobis eandem offert gratuitò; Jeſus Chriſtus Mediator noſter ſuô infiniti valoris meritô & obedientiâ activa paſſivaque (ſeu quicquid noſtri causâ ante reſurrectionem ſuam egit ac paſſus eſt) nobis eandem juſtificationem promeruit; per verbum & ſacramenta, mediante Miniſteriô Eccleſiaſtico, fidei in regeneratione collatæ obfertur obedientia Chriſti juſtifica & ſalvifica adprehendenda, credentique adplicatur; denique vera fides innixa Chriſti merito, & quidem SOLA adprehendit meritum Chriſti ſufficientiſſimum ac infiniti pretii, idque ſibi in individuo, tanquam ſuum proprium, & à ſe præſtitum, adſcribit & adpropriat. Atque ſic fides DEUM movet ad juſtificandum hominem non quidem ſuâ (fidei) propriâ vi, aut valore; ſed virtute atque dignitate meriti Chriſti, à ſe adprehenſi. conf. loca jam cit. item Luc. xxiv, 47. 2. Cor. III, 9. c. V. 18. §. 6-10.

* 10. Siccine ergo *Bona Opera* noſtra, vel *ſupererogationis* aliena, ad juſtificationem conſequendam *nihil* præſtant?

Profectò penitus nihil; nihilque præter noſtram in Chriſtum fidem à parte noſtra, pro cauſa juſtificatio-

cationis haberi potest. Paulus quippe Rom. III. 28. *Fidem*, operibus quibuslibet (sive meritô Christi tinctis, ut Pontificii somniant; sive fictis) non solum quæ juxta legem naturæ ex viribus naturæ fiunt; Sed & in genere Operibus Legis, quæ ad præscriptum Legis quibuscunque viribus fiunt, in hoc contradistinguit: quòd per fidem homo justificetur; per *Opera* vero non item. Unde rectè dicitur: *Fidem SOLAM justificare*; seu: Fidem ex parte nostra esse id, cujus intuitu DEUS nos justificet; & quicquid non est ipsa fides (etsi cum fide conjunctum sit v. g. bonum opus, &c.) id à nostra parte pro justificationis causa haberi non debere. Fides etiam ista debet esse propria cujusvis hominis justificandi: *Justus enim in fide suâ vivet*, docet Propheta Habacuc. c. II, 4. Conf. Rom. I, 17. Gal. III, 11. §. 10.

* II. Quinam sunt effectus & *fructus* Justificationis nostræ?

Ex parte DEI in primis voluntatis divinæ, homines omnes justificare seriò volentis impletio, & sempiterna sempiterni Ejus nominis glorificatio Ephes. I, 5. 6. *DEUS prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum: secundum propositum voluntatis suæ: In laudem gloriæ gratiæ suæ* &c. §. 13.

Ex parte nostri, fructus justificationis palmarii sunt quinque:

(1.) *Pax conscientiæ cum DEO.* Seu: quòd animus, etsi peccatorum sibi conscius, non tamen angitur, aut DEUM iratum formidat fugitve; sed

sorte suâ contentus est, & de DEI gratia securus adquiescit.

Huc pertinet *Certitudo Justificationis*, quatenus scilicet fideles, qui se seriò dolere ob peccata sua sentiunt, & in se deprehendunt certamen cum desperatione: quâ superata, deprehendunt in se gaudium ex Christi Justitia per fidem sibi imputata. Et quamvis simul reliquias concupiscentiæ, cum quibus sibi in hac vita luctandum sit, agnoscant & deplorent; inde tamen porro colligunt se habere fidem, & esse justificatos coram DEO: Liberatos à maledictione Legis DEI & damnatione æterna: adoptatos in Filios DEI, & jus filiorum DEI adoptione consequutos.

Rom. V, 1. 2. *Justificati ergo ex fide pacem habemus apud DEUM, per Dominum nostrum Jesum Christum. Per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI.*

c. VIII, 14. 15. *Quicunque Spiritu DEI aguntur, ii sunt filii DEI. Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater.* v. 38. 39. *Certus sum, quia neque mors &c.*

(2.) *Secundus* fructus Justificationis est: *Adoptio in filios* DEI. Nam quamvis vi regenerationis nascamur filii DEI; vi justificationis tamen & remissis peccatis in filios DEI penitus adoptamur, ac jus filiorum DEI, ut dictum, adoptione consequimur, juxta Gal. IV. 5. Ephes. I, 5. Joh. I, 12. Rom. VIII, 16. (3.) *Do-*

(3.) *Donatio Spiritûs Sancti.* Cum nimirum ipse in justificatis verè præsens, conferendo uberiora gratiæ dona, se præsentem in justificatis manifestet. Hinc Paulus ait: Gal. IV, 6. *Quoniam estis filii DEI: misit DEUS Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater.*

1. Cor. III, 16. *Nescitis, quia templum DEI estis, & Spiritus DEI habitat in vobis?*

c. VI. 19. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti, qui in vobis est; quem habetis a* DEO, *& non estis vestri?*

Huc spectat etiam *Unio illa mystica* credentium & justificatorum cum Christo, quâ ipse se nobis unit, & nos ipsi unimur.

Joh. XV, 5. *Christus perhibet: Ego sum vitis: vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.*

c. XIV. 23. *Si quis diligit me* (Christum) *sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Gal. II, 20. Paulus inquit, *Vivo jam non ego; vivit vero in me Christus. &c.* Conf. c. III. 27. Ephes. III, 17.

(4.) *Quartus* fructus Justificationis est *Sanctificatio & renovatio*, docente Paulô Rom. VI. 21.22. *Quem ergo fructum habuistis tunc,* (cum servi essetis peccati) *in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati à peccato, servi autem facti* DEO, *habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.*

(5.) De-

(5.) Denique *quintus* Justificationis fructus, est *spes vitæ æternæ*. Nam Rom. V. 2. ut sup. dicuntur justificati gloriari sub spe gloriæ DEI: nimirum nacti fundamentum spei, spemque ipsam vitæ æternæ & glorioſæ à DEO & in DEO consequendæ. Rom. VIII, 23. 24. *Nos ipsi primitias Spiritûs habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum DEI exspectantes redemtionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus.* Conf. Gal. III. 29. §. 14.

* 12. Adfer postremò Justificationis *Definitionem?*

Justificatio est actus voluntatis divinæ, quô DEUS Trinunus ex gratuito favore suo, proprer meritum fide adprehensum, homini peccatori, renato aut converso peccata remittit, salutis æternæ consequendæ causâ. §. 15.

PARTIS III.
CAP. VI.
DE
Renovatione & Bonis Operibus.
QUÆST. I.
Quid intelligis nomine Renovationis?

QUandoquidem Renovatio in genere denotat, quamlibet actionem, quâ vetera, aut quæ vetustate, vel aliunde detrita seu infirmata aut corrupta sunt, restaurantur: Itaque Renovationis vox ali-

aliquando ita *latè* & generaliter accipitur, ut ipsam quoque Conversionem, sive Regenerationem, imò & Justificationem cum sequente opere sanctificationis complectatur. Hôc loco autem *strictius*, angustius & specialius sumitur, atque à Conversione distinguitur, & ipsam etiam justificationem sequitur. Quâ rem autem importat realem quandam & internam in homine renato seu conversо, mutationem. Ac rursum sumitur renovatio specialiter sic dicta, interdum *transitivè*, quando nempe DEI actio ad nos transit, dum ipse nobis sanctos motus & actiones, itemque *cor novum* & *Spiritum novum* dare dicitur Ezech. xxxvi, 26. Psalm. Ll. 12. Interdum vero vox renovationis sumitur *intransitivè*; quando nimirum homines *se ipsos renovare, cor novum & Spiritum novum facientes, itemque deponere veterem hominem*, & *novum induere* dicuntur, Ezech. XVIII, 32. Ephes. IV. 22. 24. Aliàs renovatio hæc dicitur etiam Sanctificatio, Vid. B. Auct. §. 1. 2. item cap. præced. §. 14.

2. Quid est Renovatio?

Renovatio est DEI Trinunius actus, quô mediante verbô DEI & sacramentis, nec non viribus gratiæ in conversione acceptis, conversi ac justificati hominis anima & corpus spiritualiter mutantur atque ad omnigenas actiones spirituales DEOque gratas & ipsis salutares idonei redduntur: ita ut intellectus, pulsis superiorum ante conversionem suam, errorum tenebris, illuminetur; voluntas emendetur; adpetitus ad prava inclinans coërceatur, & membra corporis arma justitiæ fiant, atque

que sic renovatos vita æterna, DEUM verò gloria sempiterna sequatur. Sedes hujus Articuli & fundamenta Scripturæ exstant in primis Ephes. IV, 22. - 28. *Deponite secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renovamini autem in Spiritu mentis vestræ. Et induite novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* &c. Rom. VI, 12. & seqq. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore; sed exhibete vos DEO, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra, arma justitiæ DEO* &c. c. XII, 1. & 2. *Obsecro vos, fratres, per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem Sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic seculo; sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta.* Conf. loca quæst. 1. cit. & 1. Thessal. V, 23. Unde constat, Renovationem consistere in actibus aut operibus bonis & sanctis, quæ viribus gratiæ perficiuntur, & per quæ ad incrementum virium spiritualium tenditur. §. 8. - 15. & 17.

* 3. Quomodo autem homo in renovatione *mutatur?*

Hæc μεταμόρφωσις seu transmutatio & trans-

transformatio, juxta Pauli mentem Rom. XII. 2. ut sup. non *fit Physicè*, & naturaliter seu quoad formam externam; sed *theologicè* & spiritualiter, quoad formam internam & internas hominis qualitates. Nempe quando fluens ex reliquiis peccati, quæ post conversionem remanent, bonarum virium aliquis defectus; mutatur in possessionem majorum virium spiritualium: Et quidem in specie, quando Intellectûs defectus ad cognoscenda bona spiritualia; in pleniorem eorum cognitionem; ita quoque Voluntatis defectus, ad prosequenda bona spiritualia, in perfectiorem sanctitatem; & denique Adpetitûs sensitivi defectus, ad obsequium superioribus animæ facultatibus, nempe intellectui & voluntati præstandum; itemque pronitas earundem animæ facultatum ad prava; in promtius & constantius obsequium superioribus facultatibus præstandum certâ ratione mutantur & abolentur. Non quidem penitus, & radicitus, quod in hac vita, ob tenacitatem & inseparabilitatem peccati originalis, fieri nequit; sed ut bonam partem minuantur, infirmentur, aut obprimantur. Adeoque mutatio hæc in renovatis fit quando nec vetus homo, nec caro cum concupiscentiis suis, & adversus Spiritum concupiscens, nec denique quodvis malum peccati in nobis habitantis & nobis adjacentis ut renovatis dominantur; sed crescimus in Christo per omnia, & pervenimus *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenam*; juxta ductum Pauli Ephes. IV, 13. seqq.

Coloss. I, 10. seqq. *Ut ambuletis digne DEO per omnia*

omnia placentes in omni opere bono fructificantes & crescentes in scientia DEI. &c.

c. III, 8. seqq. *Deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri invicem exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis. Et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem Ejus, qui creavit illum.*

2. Pet. I, 5. 6. & 7. *Vos autem curam omnem adhibentes, ante omnes alios producite in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam; In scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem: In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.* §. 3. 4. & 5.

* 4. Quàndo verò mutatio hæc spiritualis in renovatis contingit?

Contingit hæc mutatio (1.) quando homo initò diligenti & adcurato examine vitæ suæ peccata post conversionem admissa, aut relicta, solicitius observat & retractat per seriam eorum displicentiam & dolorem.

(2.) Quando is in exercitio pietatis & aliarum, id genus Christianarum virtutum seriò seduloque sese exercet & vitam suam ad nutum Pauli 1. Tim. IV, 7. 1. Cor. IX, 24. seqq. c. X, 6. seqq. Rom. XII, 1.

XII, 1. seqq. Philipp. III, 13. IV, 8. 9. instituit. Atque hoc tempore inprimis oritur lucta, sive *Pugna secunda Carnis* & Spiritus, quando videlicet prava concupiscentia se Spiritui, spirituali vitæ & omnibus virtutibus Christianis acerrime opponit, & non facile patitur se â Spiritu crucifigi, mortificari, &c. §. 6. 7.

* 5. Edissere qua ratione verbum & Sacramenta Renovatorum mutationem præstant?

(1.) *Lex Mosis* & Christi (quæ revera una est, renatis ad renovationem sui observanda) per omnem vitam dictant renatis hominibus, quæ eis sint facienda; & quæ fugienda. vid. Psalm. I, 2. CXIX, integer. Eadem concupiscentias carnis in renatis reliquas subprimit, conf. Gal. V, 15. 16. atque sic à priori impietate, in magis pios eos mutat.

(2.) *Evangelium* non solum excitat fidem in ipsa conversione; sed etiam excitatam conservat, confirmat atque auget. Unde 1. Pet. I, 22. dicuntur *renati animas suas purificare obediendo veritati:* quæ purificatio itidem improborum morum & vitiorum, in probos mores ac virtutes, mutatio est.

(3.) *Baptismus* non abs re dicitur lavacrum renovationis Tit. III, 5. Hæc quippe (renovatio) ab illo velut à causa pendet. *Dupliciter* renovati per Baptismum mutantur (α) tempore susceptionis Baptismi & baptizationis suæ. Tunc enim Spiritus Sanctus in corde hominis, obicem non ponen-

tis operatur beneficium regenerationis & renovationis, adeoque illi homini baptizato vires gratiæ à Spiritu Sancto per baptismum (velut organon & instrumentum efficax) efficienter conferuntur: atque hæ vires ad effectus sequentes spirituales utique aliquid præstant aut conferunt, & sic hominem ex filio iræ divinæ, in filium gratiæ mutant.

(β) tempore seriæ recordationis sui baptismi olim susceptí: quoties namque hic serio memoria repetitur, beneficia à DEO illic hominibus præstita fœdusque illud inter DEUM & homines baptizatos pactum paulo curatius perpenduntur; toties Spiritus Sanctus in iis similiter operatur, & vires spirituales ulteriores confert, aut collatas auget.

(4.) *Cœna Domini* sistit nobis panem vitæ seu corpus Christi vivificum Joh. VI, 54. 55. & sanguinem Christi ab omnibus peccatis nos emundantem, *1.* Joh. I, 7. in remissionem peccatorum nostrorum, confirmationem languidæ fidei, & in certitudinem vitæ æternæ, à DEO consequendæ, sumenda. Mediante autem sumtione ista digna, arctius unimur Christo, velut viti, ut in eo, tanquam palmites feramus fructum Joh. XV, 1. 5. Sic etiam dicitur, multos unum Spiritum velut potando hausisse, 1. Cor. XII, 13. §. 9.

* 6. Qua ratione vero *Vires gratiæ* in Conversione acceptæ Renovatorum mutationem præstant?

E multitudine virium gratiæ & facultatum spiritua-

tualium, fidem efficaciter operantem & per dilectionem efficacem, (Eph. III. 20. Col. I, 29. Jac. V, 16. Gal. V. 6.) nunc coram adduxisse sufficiat: quæ in ordine ad renovationem duplici munere fungitur:

(1.) *Intellectum* determinat movetq; ad adsentiendum omnibus doctrinis divinis, & promissionibus de gratuita remissione peccatorum propter Christum, in Scriprura Sacra revelatis. Quibus probe expensis præscribit ei demum, quæ agenda, quæve fugienda sunt, additis rationibus ac motivis, quibus voluntas ad sectandum pietatis studium impellitur.

(2.) *Voluntatem* ipsam inclinat, ad resistendum pravis concupiscentiis carnis, & ad agendum id, quod intellectum circa quamlibet rem spiritualem, jam creditam, non duntaxat ut sciendam; sed ut faciendam, præscribit. Ex quibus actibus frequentatis voluntas in dies promtior redditur ad agendum, & virtutes Christianæ variæ adquiruntur, quarum principium & radix est ipsa fides, §. 10.

Vires autem *naturales*, semper ad spiritualia ineptæ sunr ac manent. §. eod.

7. Sed quæritur: *Quando* talis *renovatio* instituenda?

Paulus 1. Cor. IV, 16 docet: Renovationem fieri debere ἡμέρα καὶ ἡμέρα *in dies singulos.* Conf. Eph. IV, 22. 25. seqq; 2. Pet I, 5. & seqq. Unde colligere est facile, Renovationem nostram

non unius esse horæ aut diei; sed prolixum & confirmatum studium; ita ut quotidie in deponendo veteri, & quotidie induendo novo homine (in sanctitate & justitia vivente) ac plurium virtutum exercitiis occupari debeamus. Quandoquidem in hac vita peccatum non aboletur penitus, nec sanctitas plene perfecta adquiritur, teste Paulo Rom. VII, 14. seqq. ad finem. Gal. V, 17. Hinc etiam *Sanctitas* hujus vitæ nobisque inhærens, ac ab *imputata*, quæ à Christo in nos derivatur, distincta, merito dicitur *inchoata*; *consummata* quippe ad statum glorificationis in vita æterna pertinet. §. 13.

* 8. Quid vero de Renovationis Proprietatibus, nempe necessitate, difficultate, imperfectione & utilitate censes?

(1.) *Necessitas* renovationis satis superque constat, ex Ezech. XIIX, 31. ubi homines se ipsos renovare, faciendo sibi cor novum, & Spiritum novum, jubentur: item deponere veterem, & induere novum hominem Eph. IV, 22. 24. Conf. Colos. III. 9. Hinc præcepto divino succenturiatur nostra *indigentia*: quippe qui, nisi in virtutibus Christianis proficiamus, deficimus fidemque ipsam facile amittimus. Imo quemadmodum sine sanctificatione, ita & sine renovatione, quæ idem est, nemo videbit DEUM, Ebr. XII, 14.

(2.)

(2.) *Difficultas* renovationis facile patet ex perpetua carnis & concupiscentiarum reluctantia, & pugna carnis cum Spiritu acerrima. Unde graves querelas sanctorum, vide sis, Psalm. XIII, 1. XLII, 16. Rom. VII. 24.

(3.) *Imperfectionem* renovationis tota hominis demonstrat vita: *non est* enim *homo super terram justus, qui faciat bonum & non peccet* 1. Reg. VIII, 46. Eccles. VII, 21. Ac *si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est*, 1. Joh. I, 8. Quis igitur *potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato?* (id est nemo) Prov. XX, 9.

(4.) Utilitatem tamen renovationis, dicta non evertit imperfectio. Nam *pietas*, non solum, si quæ perfecta detur, sed quæ revera jam in hominibus invenitur fidelibus, *ad omnia utilis*, inquit Paulus 1. Tim. IV, 4.

9. Quid autem per *Bona Opera* intelligis?

Per Bona Opera hoc loco intelliguntur actiones hominis, non cujusvis, sed tantum renati, eæque liberæ, quas ipse viribus gratiæ ducente videlicet & agente Spiritu Sancto) in conversione acceptis atque auctis, juxta normam verbi divini, vel etiam Legis humanæ Ecclesiasticæ aut civilis, divinis Legibus non repugnantis, sed in primis ad

ædificationem & utilitatem publicam tendentis exercet, ad gloriam DEI. §. 17.

10 Aſt quid de non-renatorum & *gentilium* Bonis Operibus judicas?

Opera non renatorum, adeoque Gentilium & Judæorum etiam, quæ ad præſcriptum Legis moralis, lumine etiam naturæ notæ, quodammodo fiunt, non æque dici poſſunt bona, uti opera Renatorum. Etenim (1) ea non ſolum Legi Morali non ſunt exacte & modis omnibus, absque omni defectu, conformia (quod nec in homines renatos cadit.) Sed etiam [2.] non æque, ut renatorum opera, ex fide & cum delectatione ad DEI gloriam fiunt. Et [3.] talia opera potius lege cogente, absque fide & interiore animi complacentia fiunt, hominumque cauſa magis, quam ut referantur in DEUM: unde nec DEO placent. Hinc, licet non per ſe & ſimpliciter, ſeu quatenus legi divinæ conveniunt; tamen quatenus requiſitis bonorum operum deſtituuntur, *peccata potius, quam Bona opera*, recte adpellantur. Nam *quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt*, Rom. XIV. 23. et. *Sine fide impoſſibile eſt placere DEO*, Ebr. XI. 6. Interim tamen, quatenus Legi Morali conveniunt, eatenus, & in ſuo genere, honeſta & bona eſſe poſſunt. §. 19.

11. Quâ ratione Bona opera Deoque *placentia* præſtari poſſunt?

Si naturam & internam eorum bonitatem ſpectes,

ctes, ea ad normam & conformitatem cum Lege DEI fieri debent. Nam bonitas cujuslibet operis, ad præscriptum certæ normæ faciendi, consistit in ipsius operis conscientia cum sua norma. Si vero Bona Opera consideres, quatenus DEO placent, licet etiam legi non exacte conveniant: Sic canon & amussis eorum debet esse fides in Christum. Per hanc enim fit, ut, dum Christi meritum adprehenditur, infirmitates operibus fidelium adhærentes, tegantur. §. 21.

12. Quot & quænam sunt Bonorum Operum *Adfectiones* & Proprietates?

Tales tres in primis memoratu sunt dignæ: ***Prima Proprietas*** Bonorum operum vere talium, est ***Spontaneitas***, seu ut ea fiant sponte, non coacte. Etenim Lex comminationibus, & maledictionibus suis Deut. XXVII, 14. seqq. XXVIII. 16. seqq. renatos non cogit; sed præceptis suis dirigit tantum & docet. Quo sensu 1. Tim. I. 9. dicitur: ***Legem justo non esse positam***, aut instar oneris premat.* Et Rom. VII, 6. dicuntur renati ***servire*** DEO ***per novitatem Spiritus*** (semper vires novas in Spiritu Sancto acceptas, promte & cum quadam delectatione) & non per vetustatem literæ (i. e, non ex vi Legis antiquæ, suis comminationibus urgentis, & vel cunctantes, aut invitos, urgentis ac propellentis) scilicet renati servituri essent

DEO, si maxime nulla vis coactiva aut comminatio Legis esset adnexa: cum ex dilectione DEI sibi propitii omnia libenter agant. §. 22.

13. Quæ est *secunda Proprietas* Bonorum Operum?

Secunda Proprietas est Bonorum Operum *imperfectio*: Postquam namque peccatum in mundum introivit, & hominibus etiam renatis tenaciter adhæret, ita ut caro semper luctetur adversus Spiritum, denique fit, *ut non quæcunque volumus* eadem faciamus, teste Paulo Gal. V. 17. *Et sic (α) aliquando in ipsis circumstatiis bonarum actionum erramus ac cespitamus; (β) aut non eâ, quâ par est promtitudine & alacritate, sed segnius operamur; (γ) aut intercurrente vel comitante φιλαυτίᾳ inordinatâ maculam adspergimus operibus nostris, utcunque bonis. Imo semper *servi inutiles sumus* Luc. XVII, 10. §. cod.

14. Quæ vero est *Tertia Proprietas* Bonorum Operum?

Tertia Proprietas Bonorum Operum est eorum *necessitas*. Enimvero quod *Bona Opera salvandis* sint *necessaria*, causæ sunt variæ, quæ vel DEUM, vel proximum, vel nos ipsos spectant. *DEUS* quippe jure creationis, redemtionis, regenerationis & adoptionis obligatos nos sibi habet, ut voluntatem suam faciamus, ac nomen ejus glorificemus. Malach. I, 6. *Filius honorat Patrem & servus* Do-

Dominum ſuum: Si ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? Dicit *Dominus exercituum.* 1. Cor. VI, 20. *Glorificate igitur DEUM in corpore veſtro, & in Spiritu veſtro, quæ ſunt DEI.*

Tit, II, 11. ſeqq. *Adparuit gratia DEI ſalvatoris noſtri omnibus hominibus: Erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſeculária deſideria, ſobrie & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo: Exſpectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni DEI, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.*

Matth. V, 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*

1. Pet. II, 11. & 12. *Chariſſimi, obſecro vos tanquam advenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam: Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de maleſactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.*

Proximo obligamur, ut eum noſtris officiis adjuvemus, (quemadmodum membra corporis ſibi invicem ſunt adjumento) alii aliorum onera portantes, moleſtias ejus vitæ ſublevantes, ſcandala fugientes, nemini ullam offenſionem & ſcandalum dantes, calumnias malorum benefaciendo excludentes &c. bono exemplo aliis præeamus. conf. Rom. XII, 4. ſeqq. 1. Cor. XII, 14-16. Gal. VI, 2. ſeqq. Philip. II, 15. 1. Cor. X. 23-32. 2. Cor. VI, 3. Tit. II, 8. 1. Pet. II, 12, III, 16. Reſpectu *Noſtri*

stri opera danda est, ut vocationem & electionem nostram firmam efficiamus. 2. Pet. I, 10. Ex operibus namque nostris, de nostra fide, & ex fide nostra, de vocatione atque electione nostra certiores reddimur. Cavendum autem, ne male agendo, aut securius vivendo, *fidem excutiamus, aut Spiritum Sanctum contristemur & vita aeterna excidamus,* 1. Tim. I, 19. Eph. IV. 30. Rom. VIII, 13. Studeamus contra potius, ut præmia *pietati promissa* consequamur, 1. Tim. IV, 8. §. eod.

15. Igitur Bona opera ad *salutem* sunt *necessaria?*

Bona opera *nullo modo* salutis esse causa possunt (1.) quia Bona Opera à causis Salutis diserte in Scripturis excluduntur, ut Eph: II, 8. 9. *Gratia salvati estis, per* fidem, (*& hoc non ex vobis,* sed *Dei donum est;*) *non ex operibus, ne quis glorietur.* Tit. III, 5. *Non ex operibus, quæ sunt in justitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* DEus. Rom. III, 20. *Ex operibus Legis non justificabitur omnis caro cum* DEO [i. e. nulla justificabitur,] c. XII, 6. *Reliquiæ Abraham* (i. e. omnes fideles Christi) *salvæ factæ sunt secundum electionem gratiæ: quod-si ex gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non esset gratia.* Gal. II, 16. *Scientes, quod non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christum Jesum credimus, ut justificemur* ex *fide Christi, & non ex operibus Legis: propter quod ex operibus Lege non justificabitur omnis caro.*

(2.)

(2.) Quia sola fides, & nulla res alia ex parte nostra, requiritur, quâ justificamur juxta atque salvamur, Marc. XVI, 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Joh III, 16. *Sic* DEus *dilexit mundum* &c. conf. cap. præced. qu. 8.

(3.) Quia bona opera in Articulo Justificationis & Salvationis inmixta cum salutis causis pugnant. Galat. II, 16. ut sup. qu. cit. 8.

[* *NB. B. Luth* Tom. 6. Altenb. fol. 889. 890. Comment. in Epist ad Gal. quinquagenis ex epistola duntaxat Pauli ad Galatas demonstrat & evincit argumentis, *Bona opera ad salutem non esse necessaria.* Palmaria sunt seqq. Scilicet, quod homo justitiam & salutem æternam bonis suis operibus adscribens (1.) à gratia Christi, ad quam vocatus est, avertatur.

(2.) Verum Evangelium deserat, & falsum amplectatur.

(3.) Fidelia corda confundat.

(4.) Evangelium Christi pervertat:

(5.) Satagat non Deo; sed hominibus placere;

(6.) Prædicet humanas traditiones, non Jesu Christi patefactam doctrinam.

(7.) Intendat per impossibilem rem justificari.

(8.) Faciat Christum rursus peccati servum Eumque denuo crucifigat.

(9.) Abjiciat à se gratiam Dei.

(10.) Æstimet Christum frustra fuisse mortuum, atque sic efficiat, ut ei Christus nihil prosit; quin

quin amittens Christum, à gratia Dei se evacuet & excidat &c.]

* Hinc merito abstinendum est, sicut ab ea phrasi, quâ dicitur: *Bona opera esse perniciosa ad salutem*; ita etiam ab hac, quæ dicit: *Bona opera esse necessaria ad salutem*: Quandoquidem *ambiguæ* ac pridem *suspectæ*, &, tanquam *dissidiorum ac scandalorum* semina rejectæ fuere, §. eod. 22.

* 16. Quomodo Renovatio à B. Auctore Definitur?

Renovatio est complexus actuum Spiritualium, quos homo renatus; DEO per verbum & sacramenta gratiosè concurrente viribus spiritualibus sibi collatis, quoad Intellectum, Voluntatem & Adpetitum sensitivum, ad abolendas reliquias peccati, & majorem sanctitatem adquirendam in via salutis exercet, ad DEI gloriam. §. 16.

PARTIS III.

CAP. VII.

DE

Verbo Legis & Evangelii.

QVÆSTIO I.

Quomodo verbum DEI dividitur?

IN Legem & Evangelium. Vid. Beatus Auct. §. 2.

2. Quid

2. Quid propriè per Legem DEI intelligis?

Lex proprie denotat verbum Dei, quô aliqua præcipiuntur, alia vero prohibentur, cum vi obligandi. Unde præcepta Legis alia adpellantur adfirmativa; alia negativa. §, 3. NB. de natura Legis vid. sup. Part. II. cap. I. qu, 2. & seqq.

3. Quomodo *Lex* divina *distingvitur?*

(1.) In Moralem, (2.) Ceremonialem, & (3.) Forensem. Et hæc divisio fundamentum habet suum (α) Deut. VI, 1. ubi dicitur: *Hæc sunt præcepta, & Ceremoniæ & Judicia, quæ mandavit Dominus.* (β) in triplici sua Doctrina: aliæ quippe Leges tradunt mores hominum in communi; aliæ ceremonias aut ritus sacros certæ gentis; aliæ forum ut judicia adtinent, §. 4.

4. Quid est Lex *Moralis?*

Lex Moralis ea dicitur, quâ quæ creaturis rationalibus naturâ conveniunt, præcipiuntur; & quæ disconveniunt prohibentur: quæ proinde omnes homines obligat. Dicitur alias *Lex Naturæ*, quæ non solum olim in prima creatione omnibus fuit implantata hominibus; verum etiam post lapsum aliqua ejus notitia in mentibus hominum omnium relicta est. §. 5.

5. Quænam est *Summa* Legis Moralis?

Summa Legis Moralis in Decalogo seu decem præceptis â Deo, post miraculosam populi Israëlitici ex Ægypto eductionem, Die Pentecostes, in mon-

monte Sinai, inter tonitrua ac fulgura, publice proclamatis, ac præterea tabulis lapideis inscriptis & per Mosen hominibus oblatis, comprehenditur. Quæ præcepta unice ad dilectionem Dei, Proximi, & nostri ipsorum tendunt ac redeunt. Summa vero legis continetur inprimis, Deut. VI, 5. & Matth. XXII, 37-40. ubi Christus ad Legis peritum ait, *Diliges Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem est simile huic. Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis* universa Lex pendet, & Prophetæ. Conf. Exod. XIX, XX, XXXI, XXXIV. Deut. IV, V, IX, X. §. 6.

6. Quisnam est *Primi* præcepti sensus?

Quandoquidem, juxta tritam decalogi regulam explicatricem: *Præcepta negativa, includunt contraria affirmativa; & affirmativa includunt contraria negativa*: igitur quodlibet, adeoque & primum præceptum, duplicem habet sensum: alium *explicitum, & literalem*; alium *implicitum* & virtualem. §. 7.

7. Quid autem in primo Præcepto *explicite* prohibetur?

Secundum literam & *explicite* primum præceptum prohibet, cultum Deorum alienorum; seu omnium eorum, qui (vel quæ) non sunt verus DEUS.

* Dum enim prohibentur coli dii alieni, prohibetur utique coli id, quicquid non est DEUS.

Nos

Nos ipsi (per φιλαυτιαν) sive *alii homines* sint; sive creaturæ aliæ, in quibus bonitas aliqua adparet: sive denique *Diabolus* ipse. Unde recte etiam colligitur, in hoc ipso primo præcepto prohiberi cultum *Sculptilium & imaginum*, quia & hæc non sunt Deus: ita ut adpendix Exod. xx, 3. addita, sit uberior *declaratio* præmissi præcepti potius, quam *præceptum novum*. §. eod.

8. Quid vero in primo præcepto *virtualiter & implicite* præcipitur?

Præcipitur nobis isthic trinunius Dei veri, nempe Patris, Filii & Spiritus Sancti, qualem ipse se revelavit Matth. III, 16. 17. religiosus cultus, qui ab eo, quô homines, tanquam societatis humanæ præstantiora membra, prosequimur, plane differt, ac Deo ut Enti perfectissimo, quod omnium causa & Auctor est, proprie debetur. §. eod.

9 At, velim, doceas, in quo religiosus Dei istius cultus consistat?

Religiosus cultus iste consistit (α) in filiali timore, qui in Dei majestate, potentia, bonitate & justitia defixus est; ita ut vereamur ullatenus eum offendere. (β) in sincera dilectione, quâ Deum in se & nobis summe bonum propter ipsum (Deum) diligimus. (γ) in vera fiducia, in Deo summe potente, bono ac verace, tanquam origine & causa bonorum omnium defixa.

Seu

Seu religiosus iste cultus consistit in eo, ut verum illum *Deum* trinunum *diligamus* (metuamus, & in eo confidamus) *ex toto corde, ex tota anima, tota mente & omnibus viribus*, Matth. XXII. 37. Luc X, 27. alia omnia postponentes. § eod.

10. Quidnam in *secundo* præcepto prohibetur?

In secundo præcepto prohibetur nobis divini nominis [nempe: Jehova, Deus, Spiritus Sanctus &c.] & ejus verbi scripti, sive prædicati quivis abusus. Abusus autem iste nihil aliud est, quam profanus usus qui fit sine ulla devotione, levi de causa, temerarie, & pravâ consvetudine &c. In primis vero prohibetur nobis ille divini nominis, ejus verbi abusus, qui fit per Execrationes, Blasphemias, incantationes, mendacia, Fallacias &c. in negotiis sacris juxta ac profanis. §. 8.

11. Quid contra in *secundo præcepto* nobis præcipitur?

Præcipitur illic nobis genuinus ac sanctus sempiterni Nominis divini usus, consistens (α) in debita ejusdem nominis celebratione, adorando scilicet & laudando DEUM, intuitu perfectionum seu adtributorum divinorum & ejus operum. [β] in ardenti nominis divini invocatione, quâ beneficia spiritualia & corporalia adeoque omnigena animæ & corporis bona à divina potentia ac bonitate propter Christum Salvatorem nostrum, adeoque in Nomine Jesu, petimus, (γ) in decenti gra-

tiarum actione, pro beneficiis omnibus tam spiritualibus, quam corporalibus, quæ nobis, & aliis, quos amamus, DEUS Trinunus exhibuit. §. eod.

12. Quid nobis in *tertio præcepto* à DEO *mandatur?*

Tertium præceptum mandat Sanctificationem Sabbathi, non quidem præcise diei in ordine septimi cujuslibet septimanæ; alicujus tamen certi temporis ac diei exercitio ac cultui divino peculiariter destinandi. Nam delectio ista septimæ diei non ad Legem Moralem, sed ad Ceremonialem pertinet: ideoque sub initium Ecclesiæ Novi Testamenti post resurrectionem Christi id libere mutatum est, ut nunc dies prima, seu dominica celebretur. Propter hunc vero cultum publicum, privatum exercitium neque excludendum, neque negligendum est, quô singuli fungantur *sanctis verbis, operibus & vitæ vacantes*, ut ait B. Luth. in Catech. Maj. Explic. præc. III. §. *Quare* p. m. 425. §. 9.

* 13. Quare vero dies iste Sabbati seu Dominicus à Christianis celebratur.

Sabbatum istud apud Christianos ob eam potissimum rem servatur, ut die Sabbati, seu Dominico, quando alias sacræ rei vacare non licet, otium & tempus sumatur cultui divino serviendi: ita ut conveniamus ad audiendum & tractandum DEI verbum, ac deinceps DEUM Hymnis, Psalmis, Canticis & Precibus laudemus. Et hæc quidem quotidie fieri debebant; Sed quando multitudo,

præpedita negotiis, interesse nequeat, ad minimum unus aliquis dies per hebdomadem huic rei servandæ eligendus est. Porro autem cum à majoribus nostris ad hoc dies dominica ordinata sit, non proinde est immutanda temere hæc innoxia veterum consuetudo jam recepta, ut unanimis & consentiens ordo consistat, ne quis suâ non necessaria innovatione omnia conturbet, verba sunt B. Luth. l. c. conf. §. *Quare*, & §. Et profecto p. 425. §. eod.

14. Quid è contrario in tertio præcepto nobis prohibetur?

Prohibentur nobis isthic (α) omnia opera quæ per se sunt peccaminosa, & cum lege DEI pugnantia, v. g. homicidia, furta, adulteria, &c. (β) opera functionis civilis ordinariæ, quæ vel corpus fatigant, vel animum curis distrahunt, & ad sacra ineptum reddentes, nos à cultu divino temere abstrahunt; v. g. dum quis in statu Politico, aut œconomico labores suæ vocationis profestis diebus obeundæ perficit. (γ) prohibentur denique opera recreationis intempestiva, inordinatæ, ludicræ, ut puta compotationum, commessationum, saltationum, ludorum &c. quibus devotio cultus publici, aut privati impeditur. §. eod.

* Interim tamen non tam arcte & superstitiose colendæ sunt feriæ, ut earum gratia labores, qui vitari & intermitti non possunt, interdicantur, docet B. Luth. l. c. §. *Hujus* p. 425. conf. §. *Quare* ad-

adversus hoc p. 427. Unde Nostrates Theologi non solum opera, ad cultum divinum proprie pertinentia; verum etiam opera *charitatis*, *necessitatis*, & quæ ad sustentationem vitæ pertinent, licita esse docent. §. eod.

15. Quid nobis in *quarto præcepto* præcipitur?

In quarto præcepto præcipiuntur (α) honor & obsequia Parentibus, & qui eorum loco sunt, (nempe, Tutoribus, curatoribus, Dominis utriusque sexus, Magistratibus, Ecclesiarum Ministris, Præceptoribus, senioribus ætate &c.) ab inferioribus omnibus, sub nomine liberorum comprehensis præstanda.

(β) Præcipiuntur Parentibus & his similibus procuranda commoda liberorum ac subditorum, ut se nimirū dignos gerant charactere & honore divinitus concesso, & sint velut instrumentum bonitatis divinæ erga inferiores, suæ curæ fideique commissos, quoad spiritualem & temporalem eorum felicitatem. §. 10.

16. Quid contra in quarto præcepto prohibetur?

Quartum præceptum vetat (α) contemtum & offensas Parentum, & eorum omnium, quī sub nomine Parentum comprehenduntur: sive ille contemtus fiat per inobedientiam aut contumaciam; sive per signa externa declaretur, aut animō comprimatur.

(β) Prohibetur Parentibus & omnibus superioribus, ne noceant liberis suis & inferioribus, vel eos negligendo; vel injustis imperiis, solicitationibus, promissis, minis, exemplis &c. eos corrumpendo; vel denique, quæ inferioribus parari aut relinqui debebant, ad se rapiendo, perdendo, &c

(γ) Prohibetur etiam iisdem, ne se ipsos apud suos liberos & inferiores quosvis faciant contemtibiles; modis vel jam memoratis, vel aliis, quibus bonam de se opinionem statûsque sui congruam æstimationem ipsi impediant. §. eod.

17. Quid in *quinto præcepto* prohibetur?

Quintum præceptum prohibet homicidium, non quidem penitus quodcunque, sed injustum tantum, illicitum & temerarium. Committitur autem homicidium istud (α) vel ipsô facto, dum quis aut in bello temerario atque injusto; aut in duellis privatis, aut aliàs illicite, vel sauciatur mutilaturve; vel etiam quacunque ratione occiditur; vel denique per ἀυτοχειρίαν seipsum interimens homicidium committit. [β] vel animô, dum quis aut desiderium lædendi, vita corporisq; proximi suive ipsius, habet; aut signis externis, gestuum, imprecationum, minarum, convitiorum & obtrectationum, proditionis &c. homicidii intenti manifestatur; aut denique id animo clausum prematur, atque iræ, odii, ἐπχαιρεκακίας aliisque nominibus veniat. Interim *supplicia* capitalia

lia, quæ Magistratus maleficis infert, & bella necessaria atque legitima, hic non prohibentur: cum nec ex usu loquendi sint homicidia. §. 11.

18. Quid autem in quinto præcepto jubetur?

Jubetur in hoc præcepto, ut proximo auxilium feratur, & opera misericordiæ, humanitatis ac mansuetudinis, quibus humana vita & conversatio melior aut svavior reddatur, studiose exhibeantur. § eod.

19. Quid in *sexto præcepto* prohibetur?

Sextum præceptum vetat adulterium & cognatas impuritates omnes. Sunt autem cognatæ impuritates istæ vel (1.) *operis*, v. g. Scortatio, Concubinatus, Incestus, Sodomia &c. vel (2.) *oris* v. g. Cantica aut Carmina, aut Joci obscœni. vel (3.) *gestuum*: quo pertinet Lascivia oculorum, denudatio partium corporis, ob vitandas libidinis illecebras, tegendarum; oscula impudica. Vel (4.) *cordis*, v. g. cogitationes obscœnæ & oblectatio in illis: vel denique (5.) *quicquid* cum fide conjugali *pugnat*, uti sunt desertiones malitiosæ, divortia temeraria, Jurgia, rixæ, & simultates conjugum. &c. §. 12.

20. Quid contra in sexto præcepto præcipitur?

Sextum præceptum exigit castitatem intra & extra conjugium colendam, una cum officiis con-

jugalibus, seu plane mutuis, seu alterutri propriis. Est autem *castitas triplex*: alia *Virginalis* quæ importat abstinentiam à copula carnali & cognatis voluptatibus plenam; alia *Vidualis*, quæ importat abstinentiam subductô usu priore; alia denique *Conjugalis*, quæ moderatum & sanctum carnalium voluptatum usum importat. §. eod.

21. Quænam est *septimi præcepti* prohibitio?

Septimum præceptum prohibet furtum, rapinas, peculatum atque omnem alienarum opum ablationem & injustitiam, quâ plus, quam decet nobis, minus autem proximo tribuimus. §. 13.

22. Clarius, velim, explices, quomodo furtum & ablatio injusta committatur?

Committitur id in *contractibus* emtionis & venditionis, mutui, locationis, oppignorationis & conductionis, &c. Et alias etiam committitur hæc injustitia furtumque, quando (α) vel onera nimia Magistratus imponit; vel debita, subditi denegant, aut segnius præstant. (β) Operarii, aut servi infideles suis dominis aut negligentes sunt; vel merces illis, ab his, qui debent (quocunque nomine veniat) non recte solvitur: (γ) quando inventa Dominis suis non restituuntur: (δ) quando artibus inhonestis, aut temere mendicando, victus quæritur (ε) denique quando indigentibus eleemosynæ vel prorsus

sus denegantur, vel parcius atque ægre dantur §. eod.

23. Quodnam est septimi præcepti mandatum?

Septimi præcepti mandatum est (α) ut demus sine tamen prodigalitate, quæ, & quibus oportet [β] ut sua cuique relinquamus, & excluso tamen otio, conservemus. Qua ratione & quæ ad nostrarum opum honeste adquirendarum ac tuendarum curam pertinent, sunt observanda §. eod.

24. Quid *octavum præceptum* prohibet?

Octavum præceptum prohibet falsum testimonium atque omne mendacium (quod adversus proximum in judicio, aut extra judicium ferri solet) omnemque infamationem iniquam. §. 4.

25. Quâ ratione vero mendacium istud intra & extra judicium committitur?

Committitur falsum testimonium istud (1.) in *judicio*, quando vel non solum *Testis* falsus; vel *Reus* culpam suam contra conscientiam negat; vel *Advocatus* aut malam defendit causam, aut bonam malis artibus propugnat; vel Judex, non satis cognitâ causa, aut secundum adfectus, sententiam injustam fert, &c.

(2. *Extra judicium*: quando vel finguntur, vel ab aliis ficta, aut incerta cupide audiuntur & latius

sparguntur ea, quæ detrimentum famæ alterius adferunt; vel cum ex adverso indigni laudantur aut commendantur vel denique bonæ existimationis homines varie infamantur, v. g. convitiis, jocis mordentibus, carminibus aut libellis famosis, (etiamsi quæ de altero dicuntur vera fuerint) judiciis siniſtris de altero contra leges charitatis, &c. §. eod.

26. Quid octavum præceptum præcipit?

Ut proximi nostri, & nostræ famæ, quoad possumus consulamus: Scilicet non solum libenter prædicantes, quæ in laudem proximi cedant; verum etiam ab iniquioribus suspicionibus abstinentes: in æquiorem partem, quæ dubia sunt, interprerantes: errores & infirmitates, quoad licet, tegentes aut excusantes, atque emendationem ejus sperantes, eamque procurantes, fraterne illum corripiendo, aut ut ab aliis corripiatur, efficiendo. §. eod.

27. Quid tandem *Nono & decimo* præcepto prohibetur?

Prohibetur hic inordinata domus, uxoris, servorum, jumentorum, aliorumque bonorum proximi *Concupiscentia*, non solum *actualis* (dum quis ipsô facto vetitas res dictas concupiscit) ad quam animi delectatio accedit; verum omnis omnino seu *originalis*, ab Adamo & parentibus contracta. §. 15.

28. Quid

28. Quid è contrario in his præceptis ultimis præcipitur?

Requiritur & præcipitur ex adverso plena & constans desideriorum atque inclinationum nostrarum circa ea, quæ sunt proximi, puritas & rectitudo. §. eod.

* 29. Rectene Nonum & decimum præceptum à Nostratibus distinguuntur?

Recte omnino. Nam (α) in Exod. xx, 13. 14 vocabula לֹא תַחְמֹד i. e. *non desiderabis* bis posita exstant: ut scilicet verbo prohibendi repetito, re ipsa duo distincta tradi intelligantur [β] In Deuteronomio c. v. 18. semel adhibetur verbum תַחְמֹד; semel etiam ejus loco substituitur vox תִתְאַוֶּה i. e. *desiderare* vel *expetere*: nimirū ut non solum concupiscentia re ipsa concupiscens & cum delectatione conjuncta; sed peculiariter ipsa concupiscentia prava originalis, cum suis motibus primis prohibeatur: hi quidem expresse ac directe; illa vero implicite & indirecte. Observari etiam meretur; inordinatos concupiscentiæ actus aut motus in prioribus præceptis solum *implicite*; in postremis vero *explicite*, prohiberi. §. eod.

30. Quid est Lex Ceremonialis?

Lex Ceremonialis est, quæ sacrificia & ritus alios in populo DEI, habito respectu ad Messiam venturum, ejusque officium & beneficia celebrandos,

uuà cum personis (summo Sacerdote scilicet & Sacerdotibus ac Levitis) & rebus eò pertinentibus, præscribit, cum vi obligandi. §. 16.

* 31. Quid autem per Sacrificia intelligis?

Sacrificia fiebant in Veteri Testamento oblatione certorum munerum, DEO consecratorum. Fiebant autem vel [α] ex rebus *inanimatis*, cum solidis v. g. pane, sale, thure &c. tum liquidis, v. g. oleô, vino; vel (ϐ) *animatis*, in honorem DEI mactandis seu immolandis. Unde varia etiam sortita sunt sua nomina, nempe: *Holocausta*, sacrificia *salutaria*, eaque vel Eucharistica, vel votiva, vel voluntaria; denique *Piacularia*, vel pro peccato ignorantiæ, vel pro noxa aut debito graviore §. eod.

* 32. Quare vero sacrificia Messiam venturum respiciebant?

Quia sacrificia omnia Veteris Testamenti nihil aliud fuere, quam *futurorum umbra*, nempe venturi in mundum Christi veri Messiæ, cujus corpus per varias rerum umbras olim præfigurabatur. Ebr. X, 1. *Lex umbram obtinens futurorum bonorum non ipsam expressam formam rerum iis hostiis, quas singulis annis easdem continenter obferunt, nunquam potest accedentes confirmare*, Conf. Coloss. II, 16. Hinc Augustinus L. VII. de Civ. DEI, c. 32. Sacra inquit, Sacerdotia, tabernaculum, sive templum, altaria, sacrificia, ceremoniæ, dies festi, & quicquid aliud ad eam servitutem pertinet, ea signi-

gnificata & prænunciata sunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Christo, & impleta credimus & impleri cernimus, & implenda confidimus. §. eod.

33. Quid porro est *Lex Forensis?*

Lex Forensis ea dicitur, quâ constitutiones civiles formam, rationem & leges publicorum judiciorum & externæ disciplinæ in populo Judaico conservandæ, præscribentes, continentur.

* In specie leges istæ Forenses agunt de Magistratibus, de processu judiciorum, de contractibus, de divisione hæreditatum, de pœnis; item ad œconomiam pertinentes, de Conjugiis, de servis, de Parentibus & liberis; item de Advenis, de militia, &c.

* 34. Suntne vero Leges Ceremoniales & Forenses in Novo Testamento abrogatæ?

Quanquam proprie loquendo, non sunt abrogatæ, quia Christianis non erant datæ, sed tantum Judæis ad certum tempus, scilicet Novi Testamenti, fuere latæ; ex usu tamen communi loquendo, abrogatæ; omnino sunt Leges istæ, & quidem *Ceremoniales*, exhibitô Christo Messia; *Forenses* vero, sublata Politia Mosaica. Nam (1.) DEUS ipse noluit has leges perpetuo durare & obligare, sed tantum ad tempus: quô elapso, vis obligandi cessat. Ebr. IX, 10. VII, 2. VIII, 6.

(2.) Quia neque Christus neque Apostoli recens conversis necessitatem observandi leges istas im-

impoſuerunt, ſed eos legibus Magiſtratuum eorum ſub quibus erant, obnoxios reliquerunt, exemplo Centurionis Matth. VII, 13. Cornelii Act. X, 1. ſeqq. Sergii Proconſulis, Act XIII, 12. Imo vero Paulus vult Romanos Legibus Imperatoriis eſſe ſubjectos Rom. XIII, 1, ſeqq. Ac ipſe juxta leges Romanos judicari ſe poſtulat, Act. XXV, 10. 25. conf. 1. Pet. II, 13. 14,

(3.) Deſtructo templo Hieroſolymitano ac tabernaculo, ad quod adligata erant pleraque illa ſacra, ipſum hunc cultum expiraſſe, Legesque ceremoniales illic habendas, abrogatas eſſe, tanto clarius agnoſcitur. Similiter, everſa republica, Leges ſimul tolli [Forenſes] manifeſtum. Quanquam poſſint leges Forenſes Judaicæ non paucæ, quæ & quousque rebus publicis aliis conveniunt, à Magiſtratu Chriſtiano introduci, atque ut obſerventur, proponi.

(4.) Quia Leges Forenſes jam olim converſos ex gentilibus non obligarunt: quippe relictos patriis avitisque Legibus. Ceremoniales, de diſcrimine ciborum, de circumciſione, feſtis & ſimilibus, eſſe ſublatas conſtat, ex Act. X, 11. Gal. II, 3. IV, 10. V, 2. Col. II, 16. Ex quibus omnibus patet, fideles in Novo Teſtamento ad Legum Ceremonialem & Forenſium Moſaicarum obſervationem, non amplius obligari. §. 18.

* 35. Ceremonialem autem & Forenſem Legem Judaicam Chriſtianos non amplius obligare quæ docent dicta?

Dan.

Dan. IX, 26. & 27. *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Matth. XII, 13. *Omnes Prophetæ & Lex, usque ad Johannem prophetaverunt.*

Act. XV, 10. *Quid ergo nunc tentatis DEUM, imponendo jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.*

Coloss. II, 16. & 17. *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbathorum; Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.*

Rom. XIII, 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à DEO, quæ autem sunt, à DEO ordinatæ sunt.* &c. Pauli tempore vero potestas Judaica fuit jam sublata.

* 36. Nonne & ex Lex Moralis est abrogata?

Non: Nam, quamvis Lex Moralis ad justificationem invalida & inutilis sit, corruptâ naturâ humana, Rom. VIII, 3. quamvis etiam maledictiones ejus non tangant homines renatos, ac satisfactione alienâ per fidem nixos: Rom. IIX, 1. Ideo tamen lex ipsa Moralis abrogata non est. Enimvero (a) Lex ista non præcise vel Ecclesiam aut Synagogam; vel

vel Politiam Judaicam; sed omnes homines ut creaturas naturales, spectat.

(β) Lex Moralis non desinit obligare omnes ad exactam & constantem obedientiam: etiâsi, qui hanc non præstant, propterea non damnêtur, sed etiam imperfecta illorum obedientia DEO placeat. §. eod.

*37. Cur autem Lex Moralis hominibus data est?

Lex Moralis data est quidem ad vitam æternam, per eam consequendam; sed cum conditione perfectæ impletionis, juxta illud: *Fac hoc & vives*: Luc. X, 28. conf. Rom. VII, 10. 12. 13. Gal. III, 12. Quia verò post lapsum perfectam hanc legis impletionem præstare potest nemo, cum rigor ille, quô exacta obedientia postulatur & naturalis impotentia & imperfectio & impossibilitas Legis istius servandi, per lapsum contracta, cum naturali propensione ad malum, sibi mutuo adversentur, juxta Rom. IIX, 7. VII, 15. & seqq: Ideo nec per Legem quisquam salvari valet. Nam, inquit Paulus *non est data Lex, quæ posset vivificare* Gal. III, 21. & Rom. VII, 10. seqq. *Mandatum datum ad vitam*, ait sibi *cedere ad mortem* &c. §. 20. conf, sup. capp. de Justif. & B. O.

*38. Utrum igitur Lex *Mosis* & *Christi* sunt eadem?

Lex Moralis Mosaica, seu Decalogi, eadem omnino est, cum Lege Christi. Etenim [α] utrinque perfecta obedientia & omnium facultatum at-

atque actionum humanarum rectitudo exigitur. Et non solum peccata graviora ac ex deliberata voluntate atque judicio scienter volenterque facta; verum etiam ea, quæ vocantur humanæ infirmitatis, ex ignorantia vel præcipitantia perpetrata, ipsumque peccatum originis, utrinque prohibentur. (β) Christus non venit solvere legem; (seu vim obligandi ejus relaxare aut tollere,) sed (suâ perfectâ obedientia) implere; ceu docet ipse Novi Testamenti Legislator JESUS, Matth. V, 17. (γ) Quæ Christus inculcavit præcepta, ea, si non expresse & explicite; implicite tamen in decalogo continentur. (δ) Salvator noster Legem Mosaicam Moralem à Pharisaicis corruptelis tantum purgavit, & rectius declaravit, Matth. l. c. 20. seqq. non autem hoc ipso præcepta moralia plane nova fidelibus suis dedit. §. 19.

39. Describas, amabo, quid sit Evangelium?

Evangelium proprie loquendo est doctrina de gratiâ DEI, & gratuita peccatorum remissione propter Christum mediatorem ejusque meritum *fide* adprehensum: quæ non solum in Novo Testamento, verum etiam in Veteri, suô modo, fuit revelata. §. 21.

* 40. Ergone *aliud* Evangelium est *Novi*, *aliud* vero *Veteris Testamenti*?

Nequaquam: unum enim idemque est Evangelium Veteris & Novi Testamenti; Evangelicæ tamen promissiones, subinde clarius expositæ & illustratæ

ſtratæ ſunt, donec tandem plena lux in Novo Teſtamento oriretur. Eſaias certe tantam lucem cognitionis habuit, quantam in nemine anteceſſorum animadvertere poſſumus. Quinimo reſpectu ad lucem Novi Teſtamenti habito, doctrina de Meſſia in Veteri Teſtamento confertur nocti & tenebris, nimirum κατὰ σύγκρισιν: i. e. ſecundum comparationem: fuit enim figuris & umbris tecta, quarum involucris remotis, clarisſimum cognitionis jubar in Novo Teſtamento effulſit: quæ proinde diei comparatur. §. eod.

* 41. In quonam Lex & Evangelium conveniunt?

Conveniunt Lex & Evangelium (1.) *quoad Auctorem*: utriusque namque DEUS, tanquam verbi ſui Auctor eſt. (2.) *Quoad perſonas*, quibus eadem data ſunt: Nam ſicut Lex Moralis omnibus hominibus lata eſt, quâ obligarentur ad obedientiam: Ita Evangelium etiam omnium bono deſtinatum, diverſis vicibus (præſertim quoad periodos illas inſigniores (1.) in Adamo [2.] in Noacho (3.) per Eccleſiam Iſraëliticam in toto orbe illuſtrem [4.] per Apoſtolos totum terrarum orbem ſua prædicatione replentes, Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. Rom. X, 18.) toti humano generi obtigit.

(3.) *Quoad Finem*: quia tam Lex Moralis, quam Evangelium hominibus data ſunt æternæ ſalutis conſequendæ causâ. *Evangelium* quippe *eſt potentia DEI ad ſalutem omni credenti*, Rom. I, 16. conf. ſup. qu. 36. Quod autem *Lex* interdum *cedat in mortem*, & *Evangelium* fiat odor mortis ad mor-

mortem, Rom. VII, 10 seqq. 2. Cor. II, 16. 1. Cor. I, 18. seqq. id saltem est contingens ac fit vitio hominum, Lege vel Evangelio abutentium. (4.) *Quoad durationem*, Quia cum Lex, tum Evangelium ad finem mundi duratura, juxta qu. 35. sup. & Matth ult. vers. ult. §. 22.

* 42. Quomodo vero Lex & Evangelium *differunt?*

Differunt Lex & Evangelium (1.) Quoad *patefactionis* modum. *Lex* enim à DEO, ut auctore naturæ, per creationem implantata & cordibus hominum inscripta, naturâ nota est, etiam post lapsum quodammodo, Rom. II, 14. seqq. *Evangelium* autem est mysterium, sola revelatione supernaturali cognoscendum. Rom. XIV, 25. 1. Cor. II, 6. seqq.

(2.) Quoad *Res*, circa quas versantur. Nimirum *Lex* versatur circa agenda & omittenda; *Evangelium* vero circa promissiones gratuitas fide amplectendas.

(3.) Quoad *promissionum* diversitatem. *Legis* enim promissiones sunt, sub conditione perfectæ obedientiæ meritorum, compensatoriæ: *Evangelii* vero, exclusо omni respectu ad nostra opera, prorsus gratuitæ. Rom. IV, 4. 5. XI, 6.

(4.) Quoad *officii* diversitatem. *Lex* namque præscribit perfectam obedientiam, & delinquentes tes quosvis accusat, terret, damnat; non autem confert novas vires ad vitam spiritualem & sanctam. *Evangelium* autem nec mandat opera, nec arguit peccatores; sed mediatorem ostendit, solatur, promittit gratiam & salutem, eamque credentibus confert.

Devt. XXVII, 26. *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit: Et dicet omnis populus, Amen.* conf. v. 15.-26. & c. XXVIII, 15-68.

Rom. IV, 15. *Lex iram operatur.*

Galat. III, 10. *Quicunque ex operibus Legis sunt, sub maledictione sunt.*

Rom. I, 16. *Evangelium est virtus DEI in salutem omni credenti.*

Matth. XI, 5. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, & pauperibus Evangelium adnunciatur.*

Esa. LXI, 1. *Spiritus Domini super me (Christo JESU) eo quod unxerit Dominus me, ad adnunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis adpertionem* &c. conf. Luc IV, 18. Gal. III, 2. Joh. I, 17. Rom. III, 24 seqq. Matth. XXII, 5.

(5.) *Quoad proponendi* rationem: Lex quippe proponenda est peccatoribus vel maxime securis, quamvis non solis, 1. Tim. I, 9. *Evangelium* vero peccatoribus contritis, ut fidem concipiant, Matth. XI, 5. & 28. §. 23.

* 43. Siccine igitur Lex & Evangelium nunquam simul veniunt proponenda?

Quamvis quidem Lex & Evangelium valde differant, in praxi tamen & proponendi docendique usu, debent esse conjunctissima, præsertim quod Conversionem & Renovationem hominum attinet. §. 24.

* 44. Quare

*44. Quare Lex & Evangelium in *Conversione* simul sunt proponenda?

Quia agenda atque omittenda tradens & ad adcuratissimam præceptorum suorum observationem obligans, gravissimum reatum transgressoribus quibuslibet denunciat, hoc ipso homines ad agnitionem peccatorum & dolorem de illis perducit, atque sic de mediatore solicitos reddit: *Evangelium* vero Mediatorem ipsum, & per Eum impetrandam DEI gratiam & remissionem peccatorum monstrat. conf. Gal. III, 14. Rom. III, 20. VII, 7. §. eod.

*45. Quare in *Renovatione* Lex & Evangelium simul sunt proponenda?

Quia in Renovationis negotio *Lex* docendo, quæ agenda, quæque omittenda sint, dirigit renatos, ad opera vere bona efficienda & peccata cavenda (vid. exemplum Davidis, Psalm. CXIX. integro) Eadem Lex suis comminationibus facit, ut desideria carnis fortius reprimantur. Imo & imperfectionem novæ obedientiæ ostendens ad pœnitentiam quotidianam ducit. *Evangelium* vero sicut fidem in conversione collatam conservat atq; auget; ita ad actus charitatis aliarumque virtutum vires spirituales subinde majores confert, & animum imperfectæ obedientiæ ac peccati sensu labascentem erigit. §. 24.

*45. Quotuplex igitur est *Legis* Moralis *Usus*?

Usus Legis Moralis vulgo *triplex* constituitur:

videlicet usus *Politicus*, *Pædagogicus* & *Didacticus*. *Ille* est, qui ad disciplinam externam & publicam in societate civili tranquillitatem, contra homines feros atque indomitos, quibus pœnæ suæ constituuntur, conservandam, spectat. *Iste* est, qui instar *Pædagogi* severioris, hominibus exprobrans suos lapsus, eosque terrens atque anxios reddens, facit, ut liberationem desiderent, & vias omnes, si quâ liberari possunt, spectent. *Hic*, seu *Didacticus*, (qui sub politico etiam supponitur) est quæst. 44. descriptus, quod scilicet Lex instar normæ aut regulæ se habens, doceat omnes mortales, quid eis faciendum, quidve fugiendum sit, juxta omnia decalogi præcepta. §. eod. & 25.

PARTIS III.
CAP. IIX.
DE
SACRAMENTIS IN GENERE.
* QVÆSTIO I.
Quid intelligis voce Sacramenti?

VOx Sacramenti in Scripturis expresse, in sensu ecclesiastico, non exstat. Exstat tamen apud Ecclesiæ primitivæ Patres, adeoque est vox Ecclesiastica, quando scilicet de ritibus sacris, accipitur. Apud profanos Scriptores legitur significasse, non solum *Pecuniam* à litigantibus apud Judicem depositam, eô fine, ut qui vicisset, suam reciperet; qui causa cecidisset, ejus pecunia fisco cederet: sed & *Sponsionem*, solvendæ ab eo, qui judiciô victus fuerit, pecuniæ; imo & *Juramentum*, præcipue militare,

tare, significat. Postremum significatum respexisse videtur Tertullianus, qui primus Latinorum Patrum ad denotandum actum, quô baptizandi DEO se obligant, & fideliter ac strenue sub vexillis Christi contra Satanam pugnaturos religiose promittunt, vocem hanc adhibuit Lib. de Corona militis. Unde factum est, ut non solum totus ritus Baptismi; sed & Sacræ Cœnæ, Sacramentum diceretur: quanquam & aliàs hoc nomen generalius ad res sacras & secretas quasvis, itemque signa rerum sacrarum, etsi ab hominibus instituta, sit adhibitum vid B. Auct. §. 2.

* 2. Quid vero per Sacramentorum *Signa* intelligis?

Sacramenta non sunt signa nuda, mere σημαντικὰ & significativa; sed instrumenta per quæ donatur Spiritus Sanctus, qui fidem in hominibus efficit aut confirmat. Seu sunt signa & testimonia voluntatis DEI erga nos ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui ijs utuntur, proposita. Aliàs dicuntur etiam *notæ* professionis inter homines. §. eod.

3. Quid igitur est Sacramentum?

Sacramentum in *genere* est actio à DEO Trinuno & Christo homine, instituta demandataque, in in qua ordinarij Ecclesiæ Ministri, mediante divinæ institutionis verbo & visibili certôque Elemento seu signo, invisibilem gratiam DEI fidemque hominibus non repugnantibus conferunt aut obsignant, §. 4-11.

4. Quot & quænam sunt *requisita* proprie dicti Sacramenti?

Equidem requisita Sacramenti in genere æque, ac nomen ipsum in Scripturis expresse non leguntur; sed generalis doctrina de Sacramentis ex ijs, quæ in specie de singulis, nempe de Baptismi & Cœnæ Dominicæ Sacramento, in Scriptura habentur, ducenda est. Docemur autem illic, ad Sacramentum proprie & stricte [seu in proprijssimo suo significatu) sic dictum requiri (1.) ut sit actio à Deo in Scripturis expresse mandata. (2.) Ut habeat Elementum visibile, (sive rem quandam corpoream & sub sensus cadentem, circa quam actus externus aut ritus Sacramenti, Sacrô modo occupetur,) divinitus præscriptum. (3.) Ut habeat promissionem gratiæ Evangelicæ, de remissione peccatorum & alijs beneficijs Spiritualibus sibi adnexis. §. 3.

*5 Num ad Sacramenti efficaciam requiritur Ministri Ecclesiæ dignitas aut intentio?

Tametsi qnidem actus ille administrandi alicujus Sacramenti, non est per ludum & jocum, sed tanquam serius & sanctus, sancte celebrandus, ut sit Sacramentalis; nihilominus tamen ad Sacramenti veritatem atque efficaciam administrantis dignitas aut intentio non requiritur. Nam efficacia illa unice à DEO trinuno, institutionis Sacramentalis verbis, essentialibus Sacramenti partibus, & denique à fide participantis, dependet. §. 6.

*6. Utrum

6. Utrum vero in casu Neccsitatis *Laicus* etiam aut *fœmina* Sacramentum administrare possunt?

In casu vetæ & extremæ necessitatis hoc fieri, & in specie Baptismum (non vero Cœnam, cujus longe alia est ratio) Laicus aut fœmina salutariter administrare potest. Si enim sine periculo amittendæ salutis homo carere non possit Sacramento, & Ecclesiæ Minister ordinarius absit; satius est, ut ab alia persona id fiat, quod omitti sine periculo nequit, quam ut homo Sacramento donandus, damnum ferat. Nam DEUS per Sacramenta efficax est, quisquis sit, qui administret, modo essentialibus Sacramenti partibus observatis, recte administret. §. 6.

7. Quinam est Sacramentorum *fructus?*

Sacramenta conferunt aut obsignant gratiam Evangelicam, de gratuita peccatorum remissione, quando fidem conferunt aut obsignant & confirmant: pro diversitate scilicet personarum. Nam in *infantibus* fides per ipsum Sacramentum producitur; in *adultis* autem fides, quam tunc adesse oportet, ut Sacramentis salutariter utantur, obsignatur & confirmatur; Sacramenta quippe non prosunt, nisi intercedat vera fides. §. 10.

8. Quotuplicia sunt Sacramenta?

Duplicia: alia sunt Veteris; alia Novi Testamenti. *Illa* dicuntur, quæ ante Christi adventum

instituta eminus ipsum (Christum) monstrarunt, & quibusdam figuris adumbrarunt : quô demum exhibito abrogata fuerunt Sunt autem numero duo : Circumcisio & Agnus Paschalis. *Hæc*, seu Sacramenta Novi Testamenti, sunt, quæ ab ipso Christo instituta ipsum exhibitum testantur, & præsentem offerunt, duratura in Ecclesia usque ad mundi finem. Et hæc itidem duo tantum sunt, Baptismus & Sacra Cœna. §. 12.

* 9. Adfer jam Sacramenti definitionem ?

Sacramentum in genere, est actio divinitus ex gratia DEI propter meritum Christi instituta, circa elementum externum & sensibile occupata, per quam, accedente verbô institutionis, hominibus confertur aut obsignatur gratia Evangelij, de remissione peccatorum ad vitam æternam. §. 11.

PARTIS III.
CAP. IX.
DE
SACRAMENTIS VETERIS TESTAMENTI, CIRCUMCISIONE VIDELICET & AGNO PASCHALI.

QUÆSTIO I.

Quid Circumcisionem esse dicis ?

CIrcumcisio est primum Veteris Testamenti Sacramentum & peculiare fœdus, quod DEUS Trinunus ex immensa sua φιλανθρωπία & propter

pter Christi meritum, ante Messiæ adventum inprimis cum Abrahamo & posteritate ejus constituit, ut is, Patriarchæ & Sacerdotes Levitici, octavo die amputando præputium (sive anteriorem pellicuIam in membro infantum virili,) & adhibendo institutionis circumcisionis verba Gen. XVII, 11. populo Israëlitico gratiam DEI fœderalem conferant, cum à populis alijs hoc ipso segregent, de peccato originali, deque venturo Messia admoneant, atque de æterna eorum salute certum reddant. vid. B. Auct. §. 1-8.

2. Unde constat *Circumcisionem mediante Ministro Ecclesiæ* fuisse administrandam?

De hac quidem re expressum mandatum, nec in historia institutæ Circumcisionis Gen. XVII, nec in repetita ejus institutione Levit. XII, ullum exstat. Exemplum autem primi actus circumcisionis, pro norma ministri circumcisionis deinceps obeundi merito habetur. Spectandus vero est Abraham & Patriarchæ, (qui ab Eliesare præfectô domus & sacrorum vicario circumcisus esse videtur) in administratione Circumcisionis, non ut Patresfamilias, sed ut ministri sacrorum in Ecclesia domûs suæ. Accedit, quod Sacerdotes Levitici, prout cæteras Ministerij Ecclesiastici partes; ita & has administrandæ circumcisionis, ex institutione divina, sibi vendicarint: ideo per omnes tribus Israëliticas distributi, ut ubique talibus officiis fungi possent. §. 4.

3. Annon *in* casu necessitatis *Laicis* quoque Circumcisionem administrare licitum erat?

Extraordinaire & in casu summæ necessitatis à Laicis & Fœminis circumcisio peracta fuit, Deô id adprobante. Exemplô est Zippora, Mosis Uxor, quæ filium suum, adprobante DEO & ob circumcisionem intermissam denunciatam plagam auferente, circumcidit Exod. IV, 25. Idem fecere fœminæ plures tempore persecutionis, 1. Maccab. II, 63. 2. Maccab. VI, 10. §. eod.

4. *Cur* DEUS præputium in Circumcisione *amputare præcepit?*

Admirandus potius, quam rimandus DEUS in admirandis suis effectis, videtur hac circumcisionis actione admonere voluisse Israëlitas, *partim* adventus Messiæ ex Abrahæ posteritate (licet non carnali modô) nascituri; *partim* peccati originalis, per carnalem generationem propagati; *partim* Regenerationis spiritualis, quæ per ipsam circumcisionem fiebat. §. 5.

5. Recense *verba institutionis & mandati* divini de Circumcisione?

Gen. XVII, 10. *Hoc est pactum meum, (inquit DEUS ad Abrahamum) quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: circumcidetur omne masculinum ex vobis.* v. 11. *Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos.* v. 12. *Infans octo dierum, circumcide-*

cidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quam emtitius circumdetur, & quicunque non fuerit de stirpe vestra, v. 13. *Eritque hoc pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* v. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit: delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fuit. Qui autem circumcisus fuerit,* (vi versus 7. & 9.) *dabo ei terram perigrinationis Abraham, omnem terram Canaan in possessionem æternam, eroque* DEUS *ejus.* §. 6.

6. Quisnam proprie erat circumcidendus?

Soli masculi infantes, octavô vitæ suæ die, tam Israëlitarum, quam eorum domesticorum & proselytorum: si quidem alienigenæ & proselyti ad sacra Israëlitica cætera, in primis Sacramentum Agni Paschalis accedere volebant. Interim ante octavum diem decedentes infantes nihilominus salvari potuerunt. §. 7.

7. Eccur DEUS *octavum*, post masculini infantis nativitatem, *diem præcise* ad Circumcisionem delegit?

Dilatione illâ circumcisionis videtur DEUS consuluisse tenellis corporibus recens natorum: Maturatio vero, & quod longius differri noluit DEUS Sacramentum initiationis, quo liberi circumcisi in fœdus gratiæ mox reciperentur, solatio parentum cessisse creditur. Alias autem propter morbum periculosum atque itinera, licebat longius circumcisi-

cisionem differre. Sicut & passus est DEUS omitti per annos XL. cum populus Israeliticus iter in terram Canaan faceret. vid. Josuæ V. 5. -8. Proselytorum vero Circumcisioni certum tempus adsignatum non fuit. Interim decuit semper circumcisio præcedere admissionem ad sacra reliqua Judæorum. §. eod.

* 8. Doceas, velim, clarius, quare in primis Cirumcisio fuit instituta?

Principalis quidem causa fuit, gratiæ fœderalis de remissione peccatorum collatio, juxta Gen. XVII. 7. ubi DEUS promittit, se fore DEUM Abrahami circumcidendi & seminis ejus circumcidendi; nihilominus tamen promissio ista, in primis de spiritualibus beneficiis divinitus conferendis, & adoptione in fœdus gratiæ, exponi debet. Unde Circumcisio dicitur fuisse *sigillum* gratiæ Rom. IV, 11. Sic ergo, quemadmodum DEUS in prima institutione Circumcisionis simul promisit, se eos, qui circumcidentur, in fœdus gratiæ recepturum; ita etiam cum circumcisione ipsa administrata, ita concurrit & cooperatur, ut fidem promissioni illi præbendam in his, qui circumcidebantur, excitaret aut obsignaret, ac de gratia fœderis, & justitia coram Deo impetrata certos redderet. Quanquam Abrahamus per circumcisionem fidem suam apud alios testari, & ad credendum eos invitare debuit; tamen etiam ipse per circumsionem commonefieri, & ejus fides excitari debuit: ita ut circumcisio rationem medii, ad augmentum fidei illius haberet. §. 8.

*9. Quæ-

* 9. Quænam est Circumcisionis definitio?

Circumcisio fuit actio sacra, divinitus instituta, quâ DEUS in Veteri Testamento per amputationem præputii, accedente verbo institutionis, masculis Israëlitarum, eorumque domesticis ac proselytis, infantibus quidem fidem contulit; adultis vero jam credentibus eam obsignavit & confirmavit: remissionis peccatorum & salutis æternæ consequendæ gratiâ. §. 9.

10. Quid vocatur Phase seu Pascha & Agnus Paschalis?

His nominibus nihil aliud indigitatur, quam alterum Veteris Testamenti Sacramentum, à DEO Trinuno ex gratuito ejus favore & propter Christum Mediatorem institutum, Exod. XII, §. 10. 11. & 12.

11. Quâ ratione DEUS instituendum hoc Pascha præcepit?

DEUS præcepit Mose & Aaron, ut Populus Israël, ex patribus familias & Levitis constans, agnum aut hædum anniculum, sed sine macula & masculum, de grege segregaret, segregatum mactaret, mactatum assaret, assatum (cum pane azymo, & lactucis agrestibus, renes accinctas & in pedibus calceamenta habendo, baculum in manibus tenendo festinandoque septem diebus) comederet, & denique sanguine agni aut hædi super liminare postesque ædium, ut ab Angelo DEI, percussore primogeni-

genitorum Ægyptiorum, tutus sit, adspergeret. Exod. I. c. §. 14.

* 12. Siccine ergo *Sacramentum hoc cuique* homini administrare licitum erat?

Pro diversitate temporum diversa etiam administrandi Sacramenti istius ratio deprehenditur. Nam Moses & Aaron erant quidem ministri promulgandæ institutionis divinæ; ipsi tamen etiam haud dubie cum reliquis Patribus familias fuerunt administrantes hoc Sacramentum, cum primum in Ægypto celebrandum fuisset, vid. l. c. Exod. v. 1, 3. 6. 21. 28. Postea autem institutô Sacerdotio Levitico, Patres familias agnum paschalem si non mactabant, tamen asservabant. Nam alias constat, Levitas, ministros Sacrorum fuisse. Ac certum est, eô casu, quo Patres familias immunditie legali laborarunt, Levitas adparasse Pascha pro illis, vid. Esdr. VI, 20. 2. Chron. XXX, 17. 18. §. 13.

13. Quisnam de hoc Sacramento participare debuit?

Ad Agni Paschalis comestionem admittendi fuerant omnes Israelitæ, citra differentiam sexûs aut ætatis: servi quoque & proselyti mares circumcisi, juxta Exod. XII, 3. 4. 21. 43. 44. 48. §. 6.

14. Sed cur Sacramentum Agni Paschalis fuit institutum?

Ut homines, hoc Sacramentô utentes, redderentur certiores de gratia DEI, peccata non imputantis, quippe præteritis ipsorum ædibus, cum alii occide-

ciderentur, damnū omne averſurus eſſet: deinde ut memoria hujus beneficii ſecuturis temporibus conſervaretur ac celebraretur: utrinq; autem (ex dictis cauſis) confirmatio fidei in Meſſiam promiſſum, (cujus & beneficiorum per illum expectandorum ac fide amplexorum, hoc Sacramentum typus fuit) ac denique ſalus æterna ſequebatur.

* Interim certum etiam eſt DEUM ipſum virtute ſuâ concurriſſe cum ritu iſto Sacramentali, & eum cooperaſſe in ipſo Sacramenti uſu, ad fidem in hominibus hoc Sacramentô utentibus per illud excitandam & confirmandam. §. 17. 12. & 14.

* 15. Quænam eſt Paſchatis ſeu Agni Paſchalis definitio?

Paſcha ſen Agnus Paſchalis, eſt actio ſacra divinitus inſtituta, quâ agnus aut hœdus integer & anniculus, de grege ſegregatus, mactabatur, aſſabatur & ab Iſraëlitis & Proſelytis circumciſis comedebatur, ſanguis autem ejus ad ædium poſtes & ſuperliminare ſpargebatur: ad excitandam fidem in Meſſiam, & impetrandam ac celebrandam gratiam DEI remiſſionemque plagæ, & conſequendam ſalutem æternam. §. 18.

PARTIS III.

CAP. X.

DE BAPTISMO.

QUÆST. I.

Quotnam ſunt Novi Teſtamenti Sacramenta?

DUo tantum ſunt *propriiſſime* ſic dicta; nempe Ba-

Baptismus & Sacra Cœna. Præter hæc duo Sacramenta, alia ejusdem naturæ & ordinis proprie non dantur. Sed si qua alia dicuntur à Patribus Ecclesiæ priscæ Sacramenta, illa *improprie* sic dicuntur. vid B. Auct. §. 1.

* 2. Quid nomine Baptismi intelligis?

Baptismus vi vocis denotat ablutionem, sive illa immergendo, sive adspergendo fiat. De *illa* vid. Matth III,16. de *hac* Marc. VII,4. Luc, XI,38. ubi βαπτισμὸς manuum, adsesuris ad prandium usitatus memoratur: quem constat non minus adfusione aut adspersione aquæ, quam immersione manuum in aquam, etiam apud Judæos peragi consuevisse: ita ut ministrô adfundente & vase adsperiorio uterentur, & aliquando ne quidem locus esset immersioni. Sedes autem doctrinæ de Sacramento Baptismi habetur. Matth. XXVIII, 19. & Joh, III, 5. conf. Marc. X, 14. §. 1. & 2.

3. Quid autem est Baptismus?

Baptismus est prius Novi Testamenti Sacramentum, quod Christus, una cum Patre & Spiritu Sancto, ex immensa DEI trinunius bonitate propter mediatorium suum meritum instituit, ac non solum, quæ ad constitutionem Baptismi pertinent, denominavit; verum etiam ritum illum frequentari præcepit, atque efficacem reddidit ad conferendum hominibus salutarem fructum, nempe spiritualem regenerationem, renovationem ac salutem æternam. §. 2. 3. & 9.

4. Quis.

4. Quinam Baptismum administrare debet?

Ordinarie quidem Minister Ecclesiæ, sive ordinarius sine extraordinarius, id administrare debet, juxta mandatum Christi, Matth. XXVIII, 19. Ubi Christus Apostolos, ut Ministros Ecclesiæ, adloquitur. Et constat, Johannem Baptistam missionis suæ, ut ministri mentionem fecisse, Joh. I, 33. Conf. 1. Cor. IV, 1. *Extraordinarie* vero in casu necessitatis, baptismum etiam *Laico* aut *fœminæ*, modo essentialia baptismi recte adhibeantur, administrare, licebit. Nam, quando homini, præsertim infanti imbecilliori, deficiente ordinariô ministro Ecclesiæ, absque baptismo moriendum esse adparet; satius est, ut alius eum baptizet, quam ut medium regenerationis & salutis tam necessarium (juxta Joh. III, 5.) non sine periculo omittatur: præsertim quod, qui administrat Baptismum, non largiatur ei efficaciam, sed tantum in usu constituit medium, quod Deô concurrente est efficax. Ministris Ecclesiæ autem peculiariter demandatum est εὐταξίας & boni ordinis causâ. §. 4.

5. Quis & quâ ratione est baptizandus?

Homines carnaliter geniti editique in lucem, atque hi omnes, masculi pariter & fœmellæ, nec solum adultiores, verum etiam infantes sunt baptizandi. Baptizandi autem sunt vel immergendo, vel adspergendo eos semel aut tribus vicibus aquâ,

adhibitis verbisinstitutionis : Ego Te N. baptizo,in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.§5.6.7.

6. Quibus Scripturæ testimonijs homines omnes baptizandos esse probabis?

Matth.XXVII, 19. *Euntes* (Discipuli & Ministri Ecclesiæ) *docete omnes gentes,baptizantes eos in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Marc. XVI,16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit,salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Joh. III, 5. *Amen dico tibi* (Christus ait ad Nicodemum) *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum DEI.* Huc pertinent Exempla , quæ docent integras familias fuisse baptizatas, v.g. Act. XVI,15. & 33. XVIII, 8. 1.Cor.I,16.§.7.

7. Quibus vero rationibus demonstrabis infantes esse baptizandos?

Ex Joh. III,5. & Marc.X, 14. conjunctis rectissime colligitur, infantes esse baptizandos. Nimirum (1.) Christus salutem infantum serio volens, vult quoque viâ ordinaria,nempe per baptismum , eos ad se & æternam salutem venire debere. Et quia (2,) Christus vult infantes sibi offerri , ut benedictione Spirituali fruantur,vult quoque , ut infantes per baptismum , velut medium ordinarium ad se inducantur. Quia (3.) Præceptum Matth. XXIIX, 19. de baptizandis omnibus gentibus ad infantes etiam pertinet ; quippe qui sub gentium nomine comprehenduntur. Quia (4.) infantes haud dubie partem constituunt familiarum , quas integras fuisse baptizatas constat ex Act.II,cc.

Quia

Quia (5.) sicut in Veteri Testamento omnes infantes fuere circumcidendi; ita quoque in Novo sunt omnes baptizandi: Baptismus namque successit circumcisioni. Quia (6.) sicut promissio gratiæ fœderalis, Act. II, 39. ita & sigillum fœderis, Baptismus, ad infantes pertinet. Denique (7.) cum Ecclesia tota mundata sit lavacrô aquæ per verbum (juxta Ephes. V, 26.) recte etiam hoc ad infantes refertur, quando & illi naturâ immundi, tamen inseri debent in Ecclesiam.

*18. Quid autem existimandum de *infantibus sine baptismo* demortuis?

Infantes tales sunt vel ex fidelibus, vel ex infidelibus Parentibus nati; seu vel ex Christianis, vel ex gentilibus ac Judæis oriundi. Idcirco *infantes* parentum *fidelium* ante baptismum mortuos, extraordinariâ DEI gratia regenerari ac salvari credimus. Contemtus enim, non violenta privatio Sacramenti, damnat. Licet igitur ignoretur modus, quî tales infantes per gratiam extraordinariam regenerationem, fidemque in Christum sortiantur; eapropter tamen non sunt condemnandi; sed melius de ijs sperandum. Enimvero (inquit B. Gerhardus L. de Bapt. §. 237:) infantes illos, qui vel in utero materno, vel repentinô quodam casu ante baptismi susceptionem extingvuntur, temere damnare nec possumus, nec debemus: quin potius statuimus, preces piorum Parentum, vel si Parentes in hac parte negligentes fuerunt, preces Ecclesiæ ad DEUM pro his infantibus fusas clementer exaudiri, eosdemq; in gratiam & vitam à DEO recipi. §. 8.

§. 9. At quid de *infantibus* parentum *infidelium* non baptizatis mortuis putandum?

Infantes infidelium parentum divino judicio sunt committendi: cum de his, spem salutis ex revelatione divina seu Scriptura Sacra, concipere non possimus. Quin potius contrarium, ait ipse Christus Joh. III, 5. *Nisi quis*, inquiens, *renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest videre regnum DEI.* Interim tamen infidelium infantes, invitis parentibus, per vim ad baptismum suscipiendum, non sunt tuto abripiendi. Verendum enim est, ne liberos illos baptizando, sacra canibus projiciantur, si forte tales apud suos parentes in idololatria educantur. Alia vero est ratio eorum, qui in potestatem Christianorum pervenienies juste servantur, atque in religione & fide vera educantur: quos omnino jam informatos, conversos & baptismum petentes, aut etiam in mortis periculo constitutos baptizare licet. §. eod.

* 10. Quisnam est fructus & *effectus* Baptismi?

Quandoquidem non saltem infantes, sed & Adulti nondum baptizati, sunt baptizandi; proinde fructus & Effectus baptismi, non est unius generis. *Infantibus* omnibus æque per baptismum primum confertur & obsignatur fides propria, per quam meritum Christi illis adplicetur. *Adultis* autem illis tantum, qui fidem ex verbo conceperunt ante baptismi susceptionem, baptismus eam obsignat & con-

confirmat. Nec solum tunc, quando susciputur; sed & postea, ac per omnem vitam, fidelibus efficaciter prodest baptismus ad confirmationem fidei & ulteriorem renovationem. Ad utrosque vero spectans baptismi fructus, est salus & vita æterna (juxta loca jam cit.) §. 9. 10.

* 11. Quid porro de *Exorcismo* censendum?

Exorcismus est ritus in baptismo antiquus ac indifferens cum signo crucis & abdicaticatione satanæ votiva adhibitus; nec à Christo mandatus, sed libere receptus, ideoque abrogabilis, si ita res tulerit, aut aliquando citra culpam etiam omisibilis. Recte tamen adhibetur, ad significandam inprimis Baptismi efficaciam, quâ è potestate Satanæ in libertatem spiritualem infantes transferuntur. Contra vero, in gratiam heterodoxorum, libertati nostræ insidiantium, aut sanctitatem infantibus Christianis, velut hæreditariam, qua jam sint in statu gratiæ adscribentium, abrogari aut omitti, pius hic ritus non debet. §. 11.

12. Ast quid de *Patrinis* & *Susceptoribus* videtur?

Patrini, *Sponsores* & *Susceptores* vel etiam *Compatres* dicti, ad designandum fœdus gratiæ, quod baptizati cum DEO ineunt, piô riu recte satis adhibentur. Quandoquidem non solum testes baptismi collati fiunt; sed & causam baptizandorum, præsertim infantum, velut personâ eorum, in se susceptа, gerunt: quamvis, proh dolor! non o-

mnes; ij tamen, qui conscientiæ tranquillæ & animæ saluti consulere studeant. §. eod.

13. Potestne vero Baptismus iterari; seu possuntne semel baptizati *rebaptizari?*

Baptismus sane juxta institutionem Christi, i. e. legitime, semel administratus & collatus, iterari circa unam eandemque personam non debet. Nam etiamsi is ab hæretico, aut improbo fuerit interdum administratus, nihilominus tamen, modo recte eum administratum fuisse constet, verus est baptismus. Quinimo, licet per abnegationem apertam, vel alia scelera baptizatus quispiam à DEO defecerit, & fœdus gratiæ violaverit, non tamen rebaptizari debet. Etenim pro iterando Baptismo non solum nullum exstat mandatum aut exemplum; sed nec aliqua necessitas aut ratio solida adparet, cur baptismus iteretur? §. 12.

* 14. Quænam est Baptismi Definitiò?

Baptismus est actio sacra, à Christo instituta, in qua homines sine sexus atque ætatis discrimine, abluuntur aquâ, in Nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti, ut sic regenerentur ac renoventur, salutis æternæ consequendæ causâ, §. 13.

PAR-

PARTIS III.
CAP. XI.
DE SACRA COENA.
QUÆSTIO I.
Quid est Sacra Cœna?

SAcra Cœna Domini, est alterum Novi Testamenti Sacramentum, à Christo, die viridium ex mera bonitate atque amore ejus, erga suos fideles, & propter passionis mortisque suæ meritum institutum, in quo hominibus Christianis, qui se probare possunt, cum pane benedicto, corpus Christi manducandum, & cum vino benedicto, sangvis ejus bibendus porrigitur, in ejusdem mortis commemorationem, digne veraque fide participantium, remissionis peccatorum obsignationem, & eorum fidei ad vitam æternam confirmationem, vid. B. Auct. §. 1 & seqq.

2. Quomodo aliàs Sacra Cœna dicitur?

Dicitur aliàs (1) *Mensa Domini* 1. Cor, x, 21. (2) *Eucharistia*, habitô respectu ad gratiarum actionem peculiarem in Sacra Cœna occurrentem, vid. Marc. XIV, 23. Luc XXII, 19. 1. Cor. XI, 24. (3) *Communio*, ex 1. Cor. X, 16. (4) *Synaxis*, quia in conventibus sacris celebrari solet, 1. Cor. XI, 20. (5) *Missa*, vel à ritu prisco missarum rerum, sive donariorum, quæ olim missa super altari offerebantur, vel à veteri formula, in primitiva Ecclesia ad dimittendum à Sacris populum habitâ, nempe: *Ite missa est* (scilicet plebs in fide confirmata, præter

Catechumenos) suam originem trahens. Dicitur denique etiam (6) *Sacramentum Altaris*, non quidem eapropter, ac si in Sacra Cœna sacrificium proprie dictum immolaretur; sed propter sacram mensam, super qua donaria varia deponebantur. §. 1.

3. Recita verba *Institutionis* Sacræ Cœnæ?

Dominus noster Jesus Christus, in ea nocte, quâ traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit & dedit discipulis suis dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in mei commemorationem.

Similiter & postquam cœnavit, accepto calice, cum gratias egisset, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite quotiescunque biberitis in mei commemorationem. vid. Sacramenti hujus sedes, Matth. XXVI, 27. seqq. Marc. XIV 22. seqq. Luc. XXII, 19. seqq, 1. Cor. XI, 11. seqq. §. eod.

4. Credisne igitur in hoc Sacramento *verum & reale* corpus cum sanguine Christi dari & participari?

Omnino simplicissime penitissimeque credo, vi isti-

ſtius inſtitutionis & promiſſionis Chriſti, nec non legitimæ Symbolorum, nempe panis & vini, conſecrationis à miniſtro juxta inſtitutionem factæ, quod cum pane benedicto verum & reale corpus Chriſti, ſimiliter cum vino benedicto, verus & realis ſanguis Chriſti, in Sacra Cœna porrigatur ac participetur. Enimvero in verbis inſtitutionis, Chriſtus porrectô pane exertis verbis ad diſcipulos ait: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum*: & porrectô poculo, in quo vinum erat: *bibite*, inquit, *hoc eſt ſanguis meus*. Quibus verbis clariſſime ſignificatur, hoc, quod Chriſtus accipere & comedere jubet, & reapſe præſens eſſe teſtatur, eſſe ſuum ipſius verum corpus, & hoc, quod de poculo benedicto itidem ore bibere jubet, eſſe ſuum ipſius ſanguinem verum. §. 8.

5. Sed quis eſt verus & genuinus ſenſus verborum Inſtitutionis Sacræ Cœnæ?

Senſus genuinus verborum illorum, quæ Chriſtus porrectô diſcipulis pane, pronunciavit, nempè: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum*: proprie, ſineque omni tropo inferendus hic eſt: *Hoc, quod vobis do, & quod vos accipere & comedere jubeo, eſt corpus meum*. Similiter verborum illorum quæ Chriſtus porrectô vini poculo protulit, nempe: *Accipite, bibite, Hoc eſt ſanguis meus*, ſenſus genuinus hic eſt: *Hoc, quod vobis porrigo, & accipere ac bibere jubeo, eſt ſanguis meus*. Adeoque licet nonniſi panis & vinum oculis diſcipulorum fuerint monſtrata; nihilominus tamen verum & naturale corpus & ſanguis, modo tamen inviſi-

bili, cum illis Symbolis vere conjuncta, & realiter præsentia participantibus exhibebantur, & participabantur: quamvis genuinus explicandi modus, quô corpus & Sanguis Christi in Sacra Cœna adsint & accipiantur, ab omnibus ignoretur. Sufficit, quod vera & realis hæc præsentia corporis & Sanguinis Christi juxta sensum literalem verborum institutionis sit: & secundum omnipotentiam Christi divinam esse possit. §. eod.

6. Unde autem constat *sensum verborum* Institutionis Christi debere esse *proprium* & non Tropicum?

Constat illud (1.) ex communissima interpretandi regula, quæ docet: *à propria & usitata verborum significatione, ad alienam & tropicam, sine maxime urgente necessitate, non esse discedendum.* Jam autem hic natura testamenti; mandatum & omnipotentia Christi divina, omnem tollit istam necessitatem. (2.) quod nemo Apostolorum & Evangelistarum, verba institutionis ista diversis temporibus locisque conscribentium, de tropica verborum horum significatione aliquid meminerit, ut scilicet non corpus, sed signum corporis; non sanguis sed signum sanguinis sumi, sit credendum: uti quidem Reformati falso autumant.

(3.) Quod Sacramentum hoc, seu panis & vinum expresse dicantur *Communicatio corporis & sanguinis Christi*, 1. Cor. x, 16. Communicatio autem hæc, non est nuda significatio, sed realis conjuncta.

(4.) Pro-

(4.)Proprietas verborum illorum probatur, ex natura & indole teſtamentorum humanorum: in quibus proprietas verborum & perſpicuitas maxime requiruntur. Nullatenus igitur exiſtimandum, Chriſtum ſapientiſſimum ac veraciſſimum, in teſtamento ſuo, verborum improprietate, materiam litium ac rixarum, vel datâ opera, vel imprudenter dediſſe. §. eod.

7. Qualis autem *panis* in Sacra Cœna adhibendus?

Panis & vinum in Sacra Cœna dicuntur aliàs materia ſeu res terrenæ. Panis autem iſte debet eſſe verus; azymus tamen æque ac fermentatus, & ſubtilior aut tenuior æque atque craſſior ſive vulgaris ac uſualis; triticeus itidem, aut frumentarius; nihil porſus intereſt. Nam licet Chriſtus azymo uſus fuerit, ob paſcha tunc celebratum; Eccleſia tamen Græca inde usque ab antiquiſſimis temporibus, & Latina, usque ad tempora Alexandri primi Epiſcopi Romani, fermentato uſæ fuere, §. 6.

8. Quid vero de *Hoſtiis* ſeu oblatis ſtatuis?

Hoſtiæ illæ, ſeu panes orbiculares & placentulæ in noſtris Eccleſiis recte adhibentur. Sunt enim verus & genuinus panis, conſtans ex farina triticea puriore, aquâ permixta & calore fornacis cocta. Poſſunt etiam ſervire nutritioni, ſi in majore ſumantur quantitate: licet in Euchariſtia tanta quantitas non requiratur, ubi non nutritio corporis, ſed animæ, eſt quærenda. §. eod.

3. Qua-

9. Quale autem *Vinum* in Sacra Cœna adhibendum ?

Non multum interest, quale istud fuerit: modo sit genuinum & ex uvis expressum. Nihil itaque refert, sive illud fuerit rubrum, sive album, sive merum, sive aquâ paulisper dilutum. Et sane in illis regionibus ubi vina fortia vix aliter, quam aqua temperata ad communem usum adhibentur, etiam in Eucharistia idem jam olim usu venisse constat. In nostris autem regionibus, ubi vina adeo fortia non sunt, cur aquâ temperari debeant, causa non est. Nam Christus vini, non vero aquæ admiscendæ mentionem in institutione Sacræ Cœnæ fecit. §. eod.

10. Quid vero per *materiam* cœlestem in sacra Cœna intelligitur ?

Cœlestis materia, sive res, dicitur non quasi tantum in cœlo hæreat, aut quod cœlestis sive sidereæ sit substantiæ & naturæ; sed quod cœlesti sive supernaturali modô, vere tamen & realiter, sit præsens, & cum materia terrena, nempe pane aut vino, conjuncta. Materia itaque ista cœlestis est itidem ut terrena, duplex: (α) est verum & substantiale corpus; (β) verus itemque & substantialis sanguis Christi: quorum illud cum pane; hic cum vino benedicto sacramentaliter unitur, ita ut corpus Christi cum pane, & sanguis Christi cum vino vere & realiter dispensentur, & à communicantibus æque omnibus ore corporis, accipiantur: illud manducetur; hoc bibatur. §. 85

*13. Ve-

* 13. Velim, quid per *Unionem* Sacramentalem esse existimas?

Unio sacramentalis, neque est substantialis neque personalis, neque mere παρασχετικὴ aut localis, nedum mere significativa; sed talis est unio, quâ utrumque eorum, quæ uniri dicuntur, in esse suo & ejusdem suæ naturæ permanent; utrumque tamen etiam simul vere & realiter unâ accipitur participatione. Ac, licet momentum temporis, quô corpus & sanguis cum pane & vino sacramentaliter uniri incipiunt dici nequeat, quodnam illud sit; certum tamen est, unionem sacramentalem ita spectare ad usum, ut, juxta regulam veterum, *Nihil habeat rationem Sacramenti extra usum, qui institutus est à* DEO. Unde Symbola post consecrationem reservata, & extra usum constituta, rationem Sacramenti non obtinere; neque corpus & sanguinem Christi extra usum cum illis sacramentaliter unita esse, credimus. §. eod.

* 12. Quam vocas manducationem & bibitionem Sacramentalem?

Sacramentalis manducatio est, actio hominis, ore corporis, Sacram Cœnam participantis, in qua complectitur & *manducatio naturalis* seu sensibilis, quæ fit ore corporis; & manducatio insensibilis, seu supernaturalis humanæ menti incognita & incomprehensibilis; vera tamen corporis Christi cum pane sacramentaliter uniti, & nemine cogitante reapse præsentis. Similiter bibitio sacramentalis, quæ ore corporis peragitur, complectitur simul bibitio-

bitionem sensibilem ac naturalem vini benedicti; & bibitionem insensibilem seu supernaturalem, veram tamen Sanguinis Christi. Atque hinc manducatio & bibitio illa Sacramentalis etiam *oralis* dici solet: eo quod unâ hac orali actione, & naturalis & supernaturalis actio fiat.

13. Quis autem Sacram Cœnam administrare debet?

Equidem Christus ipse, ea nocte quâ traditus est, Eucharistiam primus administravit, servi formâ tunc indutus. Sed post primam illam Eucharistiæ celebrationem Ecclesiæ Ministris hoc munus tradidit & reliquit, 1. Cor. IV. 1. XI, 23. Adeoque ordinarius Ecclesiæ Minister sit, oportet, qui elementa illa externa, nempe panem & vinum consecrat, & communicantibus distribuit. § 4.

* 14. Quâ ratione vero Sacræ Cœnæ *Consecratio* peragi debet?

Consecratio ista fieri debet (α) *precibus* ad DEUM fusis, Symbola externa ab usu vulgari segregando, & ad usum sacrum destinando: quæ actio alias, *Benedictio* sive Gratiarum actio vocatur, & apud nos oratione Domnicâ peragi solet.

[β] *Verbis Christi*, quibus Ipse usus est in prima Cœnæ institutione, in persona Christi, cum Symbolis panis & vini unita, simul dispensentur, edantur ac bibantur: quæ actio *Consecratio* arcte dicta vocatur, §. 6.

*, 15. Quo-

*15. Quomodo autem panis & vini *distributio* in Sacra Cœna fieri debet?

Sive in manus communicantium dando panem & poculum benedictum; sive utrumque ori communicantium admovendo. Nihil enim hic determinatum est à Christo: utroque igitur modô fieri potest distributio. §. 4.

*16. Ast quid de *fractione* panis judicandum?

Fractione panis in Sacræ Cœnæ administratione opus non est. Sed sufficit, si ad distributionem aptatus, fractus aut divisus panis adferatur. Nam & Christum in prima administratione, non aliô consiliô sineque, nisi distributionis causâ, panem fregisse novimus. §. eod.

*17. Licitumne est, ut *Laicus* quoque Sacram Cœnam in casu necessitatis alijs sibive administret?

Baptismum quidem tam Laico, quam fœminæ in casu necessitatis administrare conceditur; sed non itidem Sacram Cœnam. Non enim eadem necessitas est utriusque Sacramenti. Quando autem deficiente Ministrô ordinario homo fidelis anxie hoc Sacramentum desiderat, satius est illi quoquo modo persvaderi sufficientiam *manducationis spiritualis* (qua solum corpus & sangvis Christi sine pane & vino, cum omnibus ejus beneficijs mediante fide, juxta illud Augustini: *crede, & man-*

manducasti, percipiuntur) & ostendere periculum aliarum tentationum, quæ nasci possent, si Sacramentum ab alio, citra vocationem legitimam, adeoque dubia mente & eventu administretur. §. eod.

18. Quoties autem & quibus hominibus Sacra Cœna administrari debet?

Sacra Cœna, non duntaxat semel, in vita aut anno, sed toties, quoties conscientiæ necessitas postulat, adeoque in anno minimum ter, porrigi debet omnibus Christianis, qui se probare possunt, juxta 1. Cor. XI, 28. 29. ubi Paulus probe monet, *Probet* inquiens, *seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Probare vero se hoc loco idem est, ac examinare seipsum, juxta ea, quæ in homine Sacrâ Cœna recte & utiliter usuro, abesse aut adesse debent; ita ut peccata, quæ salutari Sacramenti usui adversantur, per pœnitentiam retractentur; contra autem fides in corde contrito sese exerat, & in corpus Christi ac sangvinem, ut præsentia, & causam remissionis peccatorum, feratur. §. 10,

*19. Siccine igitur & *Laicis* Sacra Cœna sub *utraque specie* administranda?

Ita sane non solum panis, sed etiam vinum consecratum, idque non ad ablutionem panis sive hostiæ; sed tanquam altera pars essentialis & species Sacramenti Laicis est ex mandato Christi porrigenda. Nam (α) institutio Christi importat præceptum

ptum immutandum &c. utraque ſpecie omnibus hominibus adminiſtrànda (β). Neque relinquit Eccleſiæ eam libertatem, ut ſic vel aliter hoc Sacramentum adminiſtrare liceat.

(γ) Nulla eſt differentia in hoc Sacramento inter Clericos & Laicos admittenda. Enimvero Sacramentum hoc, tanquam medium, gratiæ divinæ fidelibus omnibus, citra differentiam ſtatûs Eccleſiaſtici ac Secularis, eſt deſtinatum. (δ) In primitiva adminiſtratione Sacræ Cœnæ, Apoſtoli Chriſti, non ut Apoſtoli aut Miniſtri Chriſti Eccleſiæ; ſed ut Chriſtiani ac fideles cujuscunque ſtatus ſunt ſpectandi. §. 11.

20. Sed quis tandem Fructus & *Effectus* eſt Sacræ Cœnæ?

Finis hujus Sacramenti, uſus & fructus eſt inprimis ſeptuplex: [1] eſt recordatio & commemoratio mortis Chriſti, quæ fide peragitur.

* Nimirum, ut, juxta Luc. XXII, 19. 1. Cor. XI, 24. 25. 26. expendamus & credamus, quod JESUS Chriſtus Θεάνθρωπος Rex & Sacerdos noſter, ipſe corpus ſuum DEO Patri victimam pro nobis obtulerit in ara crucis gratiſſimam, & ſangvinem ſuum pro nobis effuderit, ut impetraret nobis DEI gratiam & remiſſionem peccatorum. Atque ita fides quatenus fertur in corpus Chriſti pro nobis in mortem traditum, dicitur corporis Chriſti *manducatio ſpiritualis*; & quatenus fertur in ſangvinem Chriſti, pro nobis effuſi, dicitur *bibitio ſpiritualis* ſangvinis Chriſti, de qua utraque, Joh. VI, 35. 53.

seqq. (2) est obligatio promissionis de remissione peccatorum; *Quia enim illud ipsum Christi corpus, quod pro nobis in mortem est traditum, mediante benedicto pane manducamus, & illum ipsum Christi sangvinem, qui pro peccatis nostris effusus est, mediante vinô bibimus, inde certi reddimur (& Christus vult, ut hac ratione certi reddamur) quod ex gratia per fidem nobis donentur, quæcunque traditione sui corporis & effusione sui sangvinis in ara crucis promeruit, quæ sunt remissio peccatorum, gratia DEI & vita æterna. (3) Fidei nostræ confirmatio. * Enimvero quamvis promissio Evangelij, quod scilicet omnis, qui in Christum credit, non pereat, sed habeat vitam æternam, sit quidem universalis & ad omnes credentes pertinens; interim tamen, quia anxiæ & peccati, iræ divinæ propriæque indignitatis sensu territæ conscientiæ sæpius dubitant, an ad se quoque & in individuo hæc promissio pertineat, ut verâ fide coram DEI judicio eadem niti, seque contra adcusationem Legis, peccati & Satanæ, eâ erigere queant: Ideo Christus ipsis in specie & in individuo corpus & sangvinem suum distribui jussit, ut, tanquam ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς i. e. testis fidelis, Apoc. I, 5. contra omnes variarum tentationum insultus ipsos confirmet, quod vere ad ipsos quoque Evangelij promissio, & bona in eadem oblata pertineant, cum corpore Christi in mortem tradito, & sangvine ejus pro peccatis effuso (quæ sunt Evangelicæ promissionis fons & fundamentum) in Sacra Cœna cibentur ac potentur. (4) Insitio in Christum,

* Nam

* Nam sicut Filio DEI nihil propius atque arctius est conjunctum, quam adsumta natura humana, quippe quam personali fœdere sibi univit: Ita nobis nihil propius conjungitur, quam quod manducamus ac bibimus, quippe quod in carnis nostræ substantiam (h. e. succum & sangvinem convertitur: nos scilicet transmutando & alterando, ut divinæ Naturæ consortes 2. Pet. I, 4. & membra corporis mystici, cujus caput est Christus, efficiamur, Eph. V, 30. Christus igitur arctissime sese nobiscum, & nos sibi unire desiderans, instituit hoc Sacramentum, in quo mediante benedictô pane, corpus ipsius manducemus, & mediante benedictô vino sangvinem ejus bibamus. Atque sic ex ista communione provenit, ut novas vires, tanquam palmites consequamur, pugnandi contra Satanam, resistendi desiderijs carnis, proficiendi in gratia DEI & omnibus virtutibus. (5) Spiritualis animæ ad vitam nutritio. * Quando enim cum Sacramentali manducatione & bibitione, spiritualis manducatio & bibitio conjungitur: utique corpore & sangvine Christi, utraque ratione acceptis, cor contritum & peccatis oneratum reficitur, pavida mens erigitur, sustentatur & ad vitam æternam nutritur, ita ut non esuriat, neque sitiat, sed habeat vitam in se, vitamque æternam, Joh. VI, 33. seqq. (6) Dilectio mutua communicantium. * Huc inter alia spectat, administratio Sacræ Cœnæ, in publicis Ecclesiæ conventibus, tanquam nervus & vinculum congressuum Ecclesiasticorum, 1. Cor. XI, 20, Et cum ad charitatem atque concordiam Christianam, exclusis

cluſiis ſchismatibus & diſſidijs colendam, Paulus hortatur, inter cætera argumenta, *nos*, inquit, *omnes in unum corpus baptizati ſumus*, 1. Cor. XII, 13. (7) Ultimus denique, præter alios plures, eſt Salus æterna communicantium. * Huc enim omnia Sacramenta, tanquam media & organa gratiæ Evangelicæ, tandem tendunt §. 12.

21. Utrum igitur *Salutaris* hujus corporis & ſangvinis Chriſti, *indigni* pariter atque *digni* fiunt *participes*?

Profectò non ſolum digni ſive credentes, verum etiam indigni ſive increduli & impij in Sacra Cœna verum & realiter præſens corpus, cum ſangvine Chriſti, ſumunt; nihilominus tamen diversò cum fructu. Nimirum digni cum fructu jam quæſtione antecedenti recenſito; indigni vero ſumunt hoc Sacramentum ad ſuam ipſorum perniciem & æternam damnationem. Nam Paulus 1. Cor. XI, 27. indignos & imparatos, dicit eſſe *reos*, non tantum Symbolorum ſacrorum, quibus abutuntur; ſed ipſius *corporis & ſangvinis Domini*, idque ideo, quod *non adjudicent corpus* & *ſanguinem Domini*: ſeu quod ipſum corpus Domini indigne edant, dum videlicet ad hoc epulum, quò verum *corpus Domini* accipiunt, ita accedunt ſine fide ac religioſa reverentia, ſicut ad epulum vulgare, §. 8.

* 22. Quærere tandem libet: utrum hoc Sacramentum & abſentibus ac mortuis adminiſtratum proſit?

Abſentibus & mortuis Sacramenti hujus celebrationem,

brationem, quæ ab alijs fit, ex opere operato (ut Pontificij sine fundamento Scripturæ adserunt) seu ex vi operis ipsius, aut per modum sacrificij proprie dicti, prodesse negamus. Nam celebratio Sacræ Cœnæ, si ab Eucharstico Sacrificiorum genere distinguantur, neque Sacrificium commemorativum proprie dici potest. §. 12.

* 23. Produc tandem in medium Sacræ Cœnæ Definitionem?

Sacra Cœna est actio à Christo instituta, in qua cum pane benedicto, corpus ipsius manducandum, & cum vino benedicto, sangvis ejus bibendus, datur communicantibus Christianis & ab his utrumque accipitur, corpus cum pane manducatur, sangvis cum vino bibitur in commemorationem mortis Christi, obsignationem remissionis peccarorum & confirmationem fidei ad vitam æternam. §. 13.

PARTIS III.

CAP. XII.

DE

PRÆDESTINATIONE & REPROBATIONE.

* QVÆSTIO I.

Quid nomine Prædestinationis, Electionis & reprobationis intelligis?

Prædestinatio græce dicitur προορισμὸς juxta Eph. I, 5. *DEUS prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Christum in*

ipsum, secundum propositum voluntatis suæ &c. conf. Rom. IIX, 29. 30. & significat destinationem alicujus personæ ad certum finem, antequam illa persona existat. Destinare autem, est aliquid firmô animi decreto, per certa media dirigere & ordinare. Ex usu Scripturæ Sacræ, prædestinatio nullibi sumitur in malam partem de hominibus, seu de prædestinatione ad mortem; sed semper de prædestinatione ad vitam æternam tantum. *Electio* græcè dicitur ἐκλογὴ Eph. I, 4. Rom. IIX, 33. quod nimirum paucissimi ex maximo hominum numero *lecti* & à reliquis sunt segregati, qui salvantur. Atque sic electio quoad rem idem est, quod prædestinatio, solummodo quod prædestinatio in judicio DEI præcedat nonnihil electionem, & hæc illam sequatur. Electio autem ista dicitur ad gloriam: nam etiam alias, pro electione ad officium, vel ad gratiam DEI, hæc vox sumitur. *Reprobatio* est abjectio & repudiatio impœnitentium sceleſtorumque hominum, ad æternam damnationem. A *Reformatis* dicitur, sed contra Scripturæ Sacræ usum, *Prædestinatio* ad mortem. §. I. II.

2. Quid autem est, quoad rem, Prædestinatio?

Prædestinatio seu Electio est DEI Trinunius decretum, quô DEUS ab æterno, ex immensa bonitate seu misericordia & gratuito favore suo, propter meritum Christi & prævisam in eum fidem finalem, homines peccatores, sed finaliter in Christum vere credentes, eosque omnes & solos, in hoc mundo ad salutem æternam prædestinavit, præ-

præordinavit & elegit, eosdem tandem salute æterna, ob divinæ bonitatis suæ gloriam, in cœlis re ipsa donaturus. §. 2. 12-17.

3. Paulo enucleatius, velim, & fusius edisseras, quomodo *decretum* istud DEI fiat?

Quia DEUS pro summa bonitate sua homines non solum cum in primo homine ad imaginem suam divinam crearet, dilexit; verum etiam in Adamo lapso spectatos, tanquam peccatores, eô amore prosequitur, ut, procurandæ salutis eorum causa, Filium redemtorem dederit. Idcirco agnoscendum est, quod, cum DEUS ab omni æternitate juxta suam Omniscientiam, prævidisset, homines peccato corruptum iri, procurandæ salutis illorum causa decreverit apud se, dare filium suum, qui pro omnibus solveret pretium redemtionis. Nam quos & quâ ratione DEUS homines in tempore ad salutem æternam perducit; eosdem & eadem ratione ad salutem æternam in tempore se perducturum ab æterno apud se decrevit. §. 4. & 1.

4. *Quos* vero homines DEUS tantô dilexit amore, ut eos salvare decreverit?

DEUS omnes homines, tanquam opus suum, in statu integritatis valde bonum nullâque labe fœdatum aut corruptum, serio diligit amore: & quidem non solum in statu integritatis, sed & post lapsum, omnes peccatores resipiscentes ac finaliter credentes, nemine excluso, æternum salvare-

voluit. Ezech. XXXIII, 11. *Vivo ego inquit Dominus DEUS, nolo mortem peccatoris & impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat. Convertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël.* conf. cap. XVIII, 32. Sic quoque Joh. III, 16. 18. Christus ait: *Sic* (tali, tantô serioque amore) *DEUS dilexit mundum* (totam incolarum orbis multitudinem, seu universum genus humanum, quod complectitur credentes & non credentes, prout v. 18. in illos & hos dividitur iste mundus) *ut Filium suum unigenitum daret* (nempe ipsi mundo, seu generi humano, alias perituro, ne necesse esset homines peccatores perire, sed) *ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam,* Sic quoque Rom. VIII, 2. 3. dicitur *DEUM* vidisse, quod homines per legem non possint salvari: quippe per carnalem generationem contractamque labem originalem inepti facti ad *legem implendam.* Ideoque DEUM, humanæ *infirmitati* succurrere volentem, atque ut defectus ille suppleretur, *misisse proprium Filium*, qui loco hominum miserorum impleret legem, & in adsumta carne Legi satisfaceret. Similiter 1. Tim. II, 4. ex *DEUM velle*, (non tantum significare verbô externo, quasi velit; sed revera ac seriò velle) *omnes homines* (nemine penitus excepto) *salvos fieri.* §. 4. & 16. sup. Cap. 1. de Gratia DEI qu. 3.

5. *At quis scit*, an DEUS ab æterno voluerit *ut omnes homines* in Christum credant?

DEUM serio voluisse ab æterno semperque vel-

le

le ut homines in Christum credant, hoc inde patet: quod (α) sicut DEUS in tempore declarat quod per meritum Christi salutem æternam reipsa sint consequuturi omnes ii, qui in Christum finaliter credunt: ita agnoscendum est DEUm ab æterno voluisse, ut omnes homines finaliter in Christum crederent.

* Ut autem credere possint, DEUS ipse doctrinam hanc fidei ita promulgavit, ut ad omnium hominum aures mentesque pertingere queat. Interim non est necesse, ut doctrina Evangelii, omnibus & singulis coram ubique, per præcones peculiariter à DEO missos, annunciaretur; sed sufficit sic promulgari, aut promulgatam esse doctrinam istam, ut omnes in illius notitiam pervenire valeant: si scilicet, ceu obligati sunt, scrutentur de vera & salutari religione, ubinam sit? Cognoscere vero possunt ex usu rationis, alicubi certam & salutarem religionem à DEO ipso revelatam exstare.

(β) Decrevit DEUS etiam ab æterno Messiam, quem mittere constituerat, omnibus hominibus offerre amplectendum, juxta Joh. III, 16. Marc. XVI. 16. 1. Joh. II, 1. 2. &c. §. 5. conf. cap. de Fide in Christum.

6. Sed unde constat DEUM ab *æterno voluisse*, ut ex verbo suo percepto *omnes homines* fidem in Christum concipiant?

Hoc etiam inde constat, quod quemadmodum

dum DEUS in tempore verbo suo virtutem divinam conjungit, per quam adsensus fidei supernaturalis, verbo ipsi præbendus, atque ita fides in Christum excitari potest & excitatur quoties homo absque malitiosa repugnantia verbum ipsum admittit: Ita certum est, quod DEUS ab æterno decreverit, quod cum verbo in tempore promulgando, potenter & gratiose ad effectum fidei producendum ita concurrere velit, ut nemo sit fide carituras, nisi qui media conferendæ fidei (hoc est, verbum & Sacramenta) Gratiamque ipsam DEI contemserit. Nam DEUS vult, ut omnes ad agnitionem veritatis (per quam salvi fiant, adeoque ad fidem salvificam) perveniant, 1. Tim. II. 4. * Unde omnino sequitur, Deum quantum in se est, vires perveniendi ad salutarem agnitionem illam, seu vires credendi, conferre paratum ac promtum esse, ita ut nemo à DEO, velut ex mero aut absoluto ejus beneplacito excludatur. Si qui vero ad eam non perveniant, causam atque culpam penes ipsos esse necesse sit. Et sic etiam Christus expresse docet, se *Jerusalem liberos sapius serioque voluisse congerere, quemadmodum gallina congregat pullos suos*, Jerusalem tamen noluisse, Matth. XXIII, 37. §. 6.

7. Unde porro constat, DEUM ab æternō decrevisse, se omnes in Christum credituros, justificare, sanctificare, & in vera fide usque ad finem vitæ illorum confirmatos conservare velle?

Hoc

Hoc rursum inde manifestum estquod sicut Deus in tempore omnes, qui in Christum credunt, justificat, &, nisi peccatis contra conscientiam fidem & Spiritum Sanctum excutiant, magis magisque renovat, aut sanctificat, fidemque ipsam conservat & confirmat, usque ad finem vitæ: Ita agnoscendum est, quod DEUS ab æterno decreverit, omnibus in Christum credituris, in tempore gratiam justificationis & renovationis conferre, & mediis recte usuros ulterius sanctificare fidemque eorum conservare & confirmare usque ad finem vitæ illorum.

* Nam quando DEUS in tempore credentes omnes justificat, sanctificat & in omnibus, qui mediis gratiæ (verbô & Sacramentis rite) porro utuntur fidem conservat & confirmat, idque volens & juxta decretum suum æternum. Ideo fatendum est, ipsum DEI decretum æternum, sicut ad omnium credentium justificatorum omnium, qui mediis gratiæ porro recte usuri sunt, atque ut tales prævidentur, renovationem fideique illorum omnium conservationem & confirmationem, terminari. §. 7.

8. Quomodo vero scire possumus, DEUM ab æterno decrevisse, se *omnes finaliter credituros* salvaturum?

Istud Sole meridiano clarius refulget inde, quod sicut DEUS in tempore omnes finaliter in Christum credentes reipsa salvat: ita agnoscendum etiam est, quod DEUS decreverit ab æterno, se omnes

mnes in Christum finaliter vereque credituros, in tempore certo salvaturum. * Nam DEUS in tempore finaliter credentibus volens beatitudinem confert, idque vi decreti æterni, juxta Matth. xxv, 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum â constitutione mundi.* Idcoque ipsum ejus decretum æternum de salvandis certis hominibus terminabitur ad eos, ut finaliter credituros. §. 8.

9. Ergone *decretum DEI* non est *absolutum*, seu nullô respectu habito, ac solum ex εὐδοκίᾳ & bona voluntate DEI factum?

Decretum, stataque sententia DEI, de hominibus salvandis, aut damnandis, omnino non est absoluta, seu nullô respectu habito, ex solaque εὐδοκίᾳ & bonâ voluntate DEI facta, sed intuitu meriti Christi, & prævisæ fidei in Christum, factum. Nimirum quia DEUS ab æterno (vi omniscientiæ suæ, quâ omnia, etiam contingenter futura, intime cognoscit,) prævidit, quinam homines finaliter sint credituri, atque hos, ut credituros, salvare constituit: Igitur decretum DEI æternum, de impertienda finaliter credituris salute æterna, intuitu meriti Christi, & prævisæ fidei in Christum, fecit. Huc pertinet infinita DEI misericordia, quæ totius generis humani salutem serio & ardenter expetit. Quin & ministerium Verbi & Sacramentorum, quô beneficia Christi meritô parta DEUS toti mundo offerri voluit. Atque hac etiam ratione

ratione præcise spectaturi decretum *Prædestinationis* aut *Electionis* nomine speciatim apellatur. §. 9.

10. Quale & quomodo *decretum* DEI de *incredulis* & impijs factum est?

1. Sicut DEUS in tempore homines, qui vel nunquam credunt, vel fidem rursus excusserunt, ac sine fide vitam finiunt, æternâ damnatione punit: ita fatendum est, decrevisse DEUM ab æterno, eos, qui fide finali caruerint, æternum damnare. §. 10.

2. Sicut DEUS prævidit ab æterno, quinam homines absque fide in Christum in tempore sint decessuri; ita eosdem, ut tales seu sine fide, ac distincte cognitos, æternum damnare decrevit. Atque hoc decretum dicitur *Reprobatio*. §. 11.

11. Affer dicta Scripturæ Sacræ huc pertinentia?

Rom. IIX, 29. *Quos DEUS præscivit* (nempe gratiam DEI, infinitnm Christi meritum & ministerium verbi & Sacramentorum non adspernaturos, sed in Christum finaliter vereque credituros) *eos etiam prædestinavit conformandos imagini Filij sui.* v. 30. *Quos vero prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam justificavit, quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.*

Eph. I, 4. 5. *DEUS elegit nos in Christo, ante constitutionem mundi, ut nos essemus sancti & inculpati in conspectu ejus in dilectione, prædestiniens nos in adoptionem per JESUM Christum in ipsum, secundum beneplacitum voluntatis ejus.*

2. Tim. I, 9. *DEUS servavit nos, & vocavit nos*

not vocatione sancta: non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, quæ data est nobis in Christi JESU ante tempora seculorum.

1. Cor. I, 26. 27. *Videte vocationem vestram, Fratres, quia non multi sapientes secundum carnem non multi potentes, non multi nobiles, sed stulta mundi elegit DEUS, ut sapientes confundat.*

Matth. xx, 16. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Jac. II, 5. *Nonne DEUS elegit pauperes hujus mundi, divites vero in fide?*

Matth. XXV, 32. *Venite benedicti Patris mei, hæreditate, præparatum vobis regnum ab exordio mundi.*

12. Quibus in specie dictis probabis *DEUM* juxta propositum suum, *serio omnium hominum* salutem velle & expetere?

Ezech. XXXIII, 11. *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* conf. XVIII, 32.

Joh. III, 16. 18. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed vitam æternam habeat.*

Rom. XI, 32. *Conclusit DEUS omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur.*

1. Tim. II, 4. *DEUS vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.*

2. Pet.

2. Pet. III, 9. *DEUS non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

13. Probes etiam *Christum*, juxta decretum DEI æternum, *pro omnium* omnino hominum *peccatis mortuum* esse & satis feciſſe?

Esa. LIII, 6. *Omnes eramus, sicut oves errantes* & posuit DEUS super ipsum (CHRISTUM) *iniquitates omnium nostrum.*

Joh. I, 29. *Ecce agnus DEI, qui tollit peccata mundi.*

1. Joh. II, 2. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris; non autem pro nostris tantum, sed pro totius mundi.*

1. Cor. XV, 22. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificantur.*

2. Cor. V. 15. *Unus nempe* (Christus) *pro omnibus mortuus est.*

1. Tim. II, 6. *Christus dedit semetipsum pretium redemtionis pro omnibus.*

1. Tim. IV. 10. *Christus est Salvator omnium, maxime vero fidelium.*

NB. Quod autem Christus ex decreto & voluntate DEI Patris, quæ ab æterno eadem est, missus in mundum venerit; hoc de apud Johannem passim est videre.

14. Sed

14. Sed amabo unde confirmari poteſt, juxta Decretum Dei, univerſale meritum iſtud Chriſti, *omnibus* omnino hominibus, *per Evangelii prædicationem* offerri debere?

Matth. XXVIII, 18. *Ite, docete omnes gentes.* &c.
Marc. XVI, 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ* &c.
Rom. X, 14. *Quomodo credent ei, de quo non audierunt? quomodo autem audient, ſine prædicatione?*
v. 17. Fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum DEI? conf. inf. cap. 14.

15. Confirma tandem dictis, DEUM juxta decretum ſuum, velle omnes homines fide in Chriſtum ſalvari debere?

Joh. VI, 40. *Hæc eſt voluntas Patris mei* (inquit Chriſtus) *ut omnis, qui videt Filium* (DEI) *& credit in eum, habeat vitam æternam.* 2. Thes. II, 13. *Elegit nos DEUS ab initio in ſalutem in ſanctificatione Spiritûs & fide veritatis.*
Jac. II, 5. *DEUS elegit pauperes in mundo, divites, in fide.*
1. Cor. I, 21. *Placuit DEO per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*

16. Ergone *non omnes* homines ad *prædeſtinationem* iſtam pertinent?

Ita

Ita sane. Quemadmodum enim non omnes homines, sed tantum vere & finaliter in Christum credentes salvantur in tempore: ita etiamsi non nisi peccatores resipiscentes, ac vere finaliterque in Christum credentes, iique omnes, ab æterno sunt ad vitam æternam (nam prædestinatio ad mortem non datur) prædestinati. Atque sic constat prædestinationem istam & electionis decretum, esse non solum particulare, sed etiam immutabile. §. 16. 17. conf. sup. cap. 3. §. ult.

17. Quibus dictis evinces electionis decretum esse particulare?

Joh. XIII, 18. *Non de omnibus* (Christus ait ad suos discipulos) *vobis loquor: scio quos elegi.*

Matth. XX, 16. *Multi sunt vocati, pauci electi.*

1. Cor. I, 27. 28. *Quæ stulta sunt secundum mundum, elegit* DEUS, *ut pudefaceret sapientes: & quæ sunt imbecillia in mundo, elegit* DEUS, *ut pudefaceret ea, quæ sunt robusta & valida: & quæ ignobilia erant in mundo & contemta*, elegit DEUS & ea, quæ non erant, ut ea, quæ sunt, obliteraret. conf. sup. qu. 14.

18. Quis vero est causa, quod non omnes homines salventur?

Hujus rei sanctissimus atque justissimus DEUS nullatenus penitus est causa, quippe qui non solum ante Protoplastorum nostrorum lapsum, omnes homines in Adamo ita dilexerit, uteosomnes & singulos æternũ salvos esse serio voluerit; sed & posterorum casum, totius generis humani æternum sal-

vandi causa, unigenitum Filium suum in Redemtoré omnibus hominibus ut omnis, qui credit ineum, non pereat, sed vitam æternam habeat, miserit. De voluntate vero hac sua doctrinam fidei, & omnia conseqnendæ salutis æternæ media, ita ordinavit & promulgavit, ut ad omnium aures mentesque pertingere, atque sic omnes homines æternum salvi fieri possent. Atque quia hæc omnia ab incredulis, impiis & impœnitentibus flocci habentur, & pedibus conculcantur: Ita impossibile est, ut sine vera finalique fide in Christum salvi fieri queant. Atque sic ipsi se ipsos in æternos præcipitant cruciatus. Vid. Ose. XXIII, Marc. XVI, 16. Joh. 3. 16, Ebr. VI. 4. 5. 6. X, 29. & passim §. 4. & seqq. pluribus.

19. Immutabilitatem electionis etiam dictis confirma?

Matth. XXIV, 24. *Surgent Pseudo-Christi & Pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita, ut in errorem inducantur, si fieri posset, electi.*

Joh. VI, 39. *Hæc est voluntas ejus qui misit me, Patris, ne quid perdam ex omnibus, quæ dedit mihi sed resuscitem illa in novissimo die.*

Joh. X, 28. *Oves meæ* (Christi) *non peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea.* conf. Rom. VIII, 29. 30. XI, 7. 1. Pet. I, 2. 2. Tim. II, 19.

* Hæ vero posteriores quæstiones, earumque dicta pertinent, in primis ad *Voluntatem* DEI *Antecedentem*, seu primam sic dictam.)

*19. Quid

* 20. Quid ergo est Voluntas DEI *Antecedens*, & quid *Consequens?*

Illa est qua DEUS aliquid ex se solo, seu ex nativa sua inclinatione præcise, nec dum habitâ ratione circumstantiarum, aliquid vult. Hæc seu *Consequens* DEI *voluntas* est, quâ DEUS aliquid vult consideratis circumstantiis, seu intuitu alicujus causæ, aut conditionis: ex parte creaturæ, cui aliquid vult, spectatæ. Igitur DEUS, ex nativa sua inclinatione vult omnium hominum misereri, omnes ad pœnitentiam reverti, omnes salvos fieri; quia non omnes, sed pauci tantum ejus amplectuntur misericordiam, pauci de suis innumeris peccatis agunt pœnitentiam, paucique verbum scilicet & Sacramenta DEI conculcando atque sic in Christum non credendo, salvari satagunt, ceu DEUS ante jacta mundi fundamenta omnia hæc, & id genus, prævidit. Merito ergo DEUS non omnes ad vitam æternam ab æterno elegit. Unde etiam constat dilectionem DEI esse Universalem; electionem autem particularem. Conf. Part. I. c. I. §. 19.

* 21. Adfer *definitionem* Prædestinationis *latius* sic dictæ?

Prædestinatio, seu Electio latuis sic dicta, est decretum DEI æternum, quô DEUS ex immensa sua misericordia hominibus omnibus, quos in peccatum lapsuros prævidit mediatorem mittere, & per prædicationem universalem amplectendum offerre; omnibus etiam, qui non repugnaturi essent fidem per verbum & Sacramenta conferre,

credentes omnes justificare, ac mediis gratiæ porro utentes renovare, fidemque usque ad vitæ finem in illis conservare, ipsos denique finaliter credentes salvare constituit, ad bonitatis suæ gloriam. §. 19.

21. Quomodo vero Prædestinatio *strictius* sumta *definienda?*

Prædestinatio strictuis sumta est decretum DEI æternum, quô DEUS ex immensa sua misericordia, homines illos omnes & solos, quos in Christum finaliter credituros prævidit, propter ipsum Christi meritum fide finali adprehendendum, atque ita prævisum, salute æternâ donare constituit, ipsius credentium salutis, & suæ gloriæ causa. §. 2.

23. Quid vero est Reprobatio?

Reprobatio est DEI Trinunius decretum particulare & immutabile, quô ipse, irâ sua adversus peccata, justitiâ vindicativa, & peccatis hominum cum finali incredulitate conjunctis motus, homines impios finaliter incredulos omnes & solos, ad æternos cruciatus contemnat, peccatorum eorum vindicandorum, & divinæ justitiæ vindicativæ glorificandæ causâ. §. 21. - 25.

24. Quænam sunt exstantiora dicta de Reprobatione?

Marc. XVI, 16. *Qui non crediderit* (in Christum) *condemnabitur.*

1. Joh. III, 18. *Qui non credit, jam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii* DEI

DEI, v. 36. *Qui credit Filio, non videbit vitam*, sed ira DEI manet super ipsum.

* Plurima alias passim de incredulitate videri possunt.

* 25. Recense Reprobationis Definitionem ?

Reprobatio est decretum Dei æternum, quô Deus ex justitia sua vindicativa homines peccatores finaliter incredulos propter ipsa peccata eorum, cum finali incredulitate conjuncta, damnare decrevit, ad punienda peccata ipsorum, & justitiæ suæ divinæ gloriam. §. 27.

EX APPENDICE
CAP. de Prædestinatione
DE
INSCRIPTIONE IN LIBRUM VITÆ, DICTA.

QUÆSTIO I.
Quid per nomen *Libri Vitæ* intelligitur ?

DEus per Ἀνθρωποπάθειαν & συγκατάβασιν quandam, i. e. ad similitudinem hominum eorumque se naturæ accommodando, mox librum vitæ, mox scriptionem in libro vitæ Agni, mox denique scriptionem nominum in cœlis nominat, quando homines certos reddit, quod eorum, vel nolit unquam oblisci, quando quidem

nomina ipsorum in tali libro inscripta sunt; vel nolit amplius aut unquam recordari, cum nomina ipsorum, vel ex tali libro expuncta, vel alias nunquam illic fuerint inscripta. §. 1.

2. Ubi in Sacris de Libro vitæ agitur?

Apoc. XVIII, 8. Bestiam adscensuram de abysso & in meritum abituram, *mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ à constitutione mundi, videntes bestiam, quæ erat, & non est.*

c. XX, 15. *Qui non est inventus in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

c. XXII. 19. *Si quis diminuerit de verbis libri hujus prophetiæ, auferet DEUS ejus de libro vitæ, & de civitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto.* conf. Philip. IV, 3. Dan. XII, 1. Exod. XXXII. 32. Apoc. XXI, 2. §. exod.

*3. Quid autem qua rem & proprie est Liber vitæ?

Liber vitæ, est series, Catalogus & multitudo eorum, quibus vita Spiritualis, hoc est, vita non tantum *gratiæ*, quæ per Fidem Filii DEI, per ipsum Christum, & per Spiritum Sanctum vivitur; sed & vita *gloriæ* seu vita æterna, per Christum est donanda, menti divinæ obversatur. Non equidem ac si DEUM ullius rei capiat oblivio, sed, ut dictum, ἀνθρωποπαθῶς & more humanô loquendo,

ceu

ceu quondam Regibus Medorum & Persarum usu receptum fuerat, Ministrorum subditorumque fidelium ac aliorum bene meritorum nomina (id quod & hodie in Archivis Procerum est videre) & facta in librum Commentariorum descripta fuere. vid. Esther. V, 1. seqq. conf. Gal. II, 20. Rom. VI, 11. Gal V, 25. Matth XXV, 46. Joh. III, 16. VI, 47, 51. 54. 68. X, 28. §. 2.

* 4. Quis vero per hunc librum vitæ in Sacris declineatur ?

Quamvis certô sensu Christus ipse per hunc librum, uti nonnulli Theologi sentiunt, intelligi queat ; rectius tamen docetur, quemadmodum *Liber vitæ* dicitur esse Agni, non Agnus ipse, Apoc. XIII, 8. XXI, 26. ita librum hunc vitæ non tam esse Christum ipsum, quam Christi, qui est fundamentum ac causa vitæ tam gratiosæ, quam glorioſæ. §, eod.

* 5. Quid porro per *Inscriptionem* in librum vitæ denotatur ?

Inscriptio in Librum vitæ, est actus voluntatis divinæ, seu insertio in Catalogum divinum, quâ Deus hominem unum aut plures cœtui viventium vitâ spiritualem adcenset, per baptismum in librum vitæ inscribit, & serio vult, ac decernit ut inscripti isti, vita spirituali, gratiæ scilicet & gloriæ, cum cæteris sanctis fruantur. §. 3.

* 6. Quotuplex est in Librum vitæ Inscriptio ?

Duplex: alia proprie, alia improprie talis. *Proprie* dicta inscriptio in librum vitæ est, quando homines à Deo in numerum certo salvandorum referuntur; quæ inscriptio cum Electione seu Prædestinatione coincidit, diciturque ab aliis inscriptio in librum gloriæ.

Improprie dicta Inscriptio in librum vitæ est, quando homines à Deo tantum in numerum fidelium per verbum & Sacramenta referuntur, ac dicitur ab aliis Inscriptio in librum gratiæ. §. 4.

* 7. Quænam est adcuratior inscriptionis istius propriæ dictæ Descriptio?

Inscriptio in Librum vitæ est Dei trinunius actio, quâ Deus, ex sua gratia & benevolentia, propter prævisum Christi meritum, ab hominibus fide finali adprehendendum, omnes homines in Christum finaliter credituros, cœtui viventium vitam spiritualem infallibiliter & immutabiliter accenset, consequendæ eorum salutis æternæ divinæque gloriæ causâ. §. 5. - 10.

PARTIS III.

CAP. XIII.

DE

ECCLESIA.

* QVÆSTIO I.

Quid per nomen Ecclesiæ intelligis?

Ecclesia *proprie* denotat cœtum paucorum ex pluri-

pluribus autoritate publica convocatorum : *improprie* vero & abusive sumtum nomen ecclesiæ significat concionem quamvis, etiamsi inordinatam & confusam, vid. Act. XIX, 2. 39. & 40. B. Auctor. §. 1.

2. Quà rem vero, quid est Ecclesia?

Ecclesia est cœtus hominum vere in Christum credentium & sanctorum, quem Deus trinunus ex gratuito suo favore & bonitate, propter Christum Mediatorem, per verbum suum & Sacramenta legitime administrata, ex varia hominum multitudine in unum sanctum Catholicum & Apostolicum cœtum & corpus mysticum, cujus caput unicum est Christus, congregat, ad totius corporis mystici & membrorum ædificationem atque æternam salutem. §. 6-11.

3. Quomodo Ecclesia Christi dividitur?

Ecclesia multivarie dividitur, & quidem 1. in Ecclesiam *militantem* & *triumphantem*. Illa est, quæ in hoc mundo sub Christi vexillo contra Satanam, mundum, carnem, peccatum & mortem æternam, acerrime militat; *Hæc* seu triumphans est, quæ in altera vita super hostes suos glorioßissime atque æviternum triumphat. §. 1.

*4. Quotupliciter porro militans Ecclesia sumitur?

Ecclesia *militans* sumitur *bifariam* : *Unô* modo proprie & præcise pro congregatione vere credentium

tium & sanctorum, qui Christo capiti per fidem insiti sunt, & velut membra viva unum cum ipso corpus mysticum constituunt; *Alteró* modo improprie per Synecdochen partis pro toto, ex vere credentibus & sanctis, admixtisque hypocritis & malis adgregato cœtu. §. 2.

5. Quinam sunt veræ Ecclesiæ vere credentes?

Qui (α) unice Verbo DEI intorto, recteque intellecto, fide suâ innituntur, atque illic unice fidei suæ articulos fundatos habent. (β) qui unice Christum, & non alium quenquam, pro suo inter DEUM & homines Mediatore, Salvatore & impetrandæ apud DEUM gratiæ ac remissionis peccatorum causâ, agnoscunt & amplectuntur. (γ) qui fidem hanc suam cum fiducia in Christum atque charitate conjunctam habent. §. eod.

6. Cæterum, quum omnes homines sint peccatores, quinam & quales igitur in Ecclesia *Sancti* intelliguntur?

Per hanc credentium sanctitatem inprimis intelligitur perfectissima sanctitas Christi, quæ credentibus ita imputatur, ac si propria eorum esset. *Christus*, inquit Paulus, *factus est nobis à DEO sapientia*, justitiaque & sanctificatio & redemtio, 1. Cor. 1, 30. Deinde fideles Christi dicuntur etiam sancti, propter sanctitatem ipsis inhærentem, quæ ex vera in Christum fide, velut radice, originem ducit, & in charitate alijsque virtutibus consistit; est tamen omnibus numeris imperfecta, ac ideo dici-

dicitur *sanctitas* solum *inchoata consummata* vero in cœlo sequetur. §. eod.

* 7. Unde probas Ecclesiam proprie dictam, esse tantum cœtum vere credentium & Sanctorum?

1. Quia Paulus expresse docet, eos omnes & solos esse membra Ecclesiæ proprie dictæ, qui vita spirituali vivunt ex supernaturali gratia & influxu Christi Capitis & Spiritûs ejus, adeoque fide, non qualicunque, sed supernaturali & cum charitate conjuncta, pollent, vid. Eph. IV. 16. ubi Ecclesia velut *corpus* Spirituale, cujus *Caput* est Christus, describitur.

2. Quia Petrus disertis eam describit verbis, ut *domum* spiritualem, quæ ex lapidibus vivis super imum angularem lapidem Christum, est exstructa, ita ut sit templum sanctum Domino, domiciliumque DEI per Spiritum, 1. Pet: II, 4, seqq.

3. Quia gentium Apostolus Paulus eam comparat *oleæ*, cujus ramos, spirituali sensu dictos, per fidem insertos, & per eandem in olea manentes, sanctos, quemadmodum radix est sancta, esse oportet. conf. Rom. XI, 16. seqq.

4. Quia Ecclesia proprie sic dicta, est cœtus filiorum DEI: Filij autem DEI fiunt & sunt per fidem in Christum, adeoque sancti. conf. Gal. III, 26. 28. Eph. II, 19. 20.

5. Quia sicut mortua membra, non nisi improprie corporis vivi membra sunt: ita etiam hypocritæ, & homines non-sancti, improprie tantum my-

mystici corporis Christi membra dici possunt. §. cod.

*8. Quis autem corporis hujus mystici & Ecclesiæ proprie sic dictæ *Caput est?*

Ecclesiæ proprie acceptæ caput est CHRISTUS ἀνθρωπος, non solum ratione dignitatis & perfectionis omnia corporis hujus mystici membra superantis; verum etiam præcipue ratione virtutis & influxûs: qui fit *moraliter*, seu quando propter infinite validum Christi meritum, Ecclesiæ omnia bona spiritualia impetrantur; vel *Physice*, seu quando in Ecclesiæ corpore & membris tales excitat actiones, quæ nonnisi supernaturales, salutares Deoque gratæ, sunt. §. 4.

9. Proba evidentibus Scripturæ dictis, Christum esse unicum Caput Ecclesiæ?

Eph. I, 22. *DEUS omnia subjecit sub pedibus Christi eumque constituit caput super omnia Ecclesiæ.*

Ibid. c. IV, 15. 16. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus: ex qua totum corpus compactum & connexum per omnem junctu ram subministrationis, secundum operationem in mensuram unius cujusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate.* Ibid. c. V, 23. *Christus est caput Ecclesiæ ipse Salvator corporis ejus.* conf. Colos. II, 19.

*10.

* 10. Cur & quâ ratione Christus & Ecclesia, cum capite & corpore humano comparari possunt?

Hac inprimis ratione: quemadmodum in corpore humano variæ sunt commissuræ, per quas spiritus animales à capite in membra derivantur: ita multiplex Christi, capitis mystici, influxus in Ecclesiam se diffundit. Diffundit autem se hic influxus duplici modo: (α) per varias functiones, dando Ecclesiæ *Apostolos*, *Prophetas*, *Evangelistas*, *Pastores* & *Doctores*, juxta Eph. IV, 11. 12. (β) per *dona* Ecclesiæ concessa tam *ministrantia*, & ad ecclesiasticas functiones necessaria, de quibus 1. Cor. XII, 4. Eph. IV, 7. 8. ex Psalm. LXVIII, 19. quam *sanctificantia*, & omnibus Ecclesiæ veris membris communia, ceu est fides in Christum, charitas & aliæ virtutes Christianæ, de quibus vid. Ephes. IV, 24. seqq, §. 4.

* 11. Annon vero aliquod Caput Ecclesiæ visibile, v. g. *Papa* Romanus ceu *Vicarius* Christi est agnoscendus?

Præter Christum, aliud quoddam Caput Ecclesiæ, quod vice Christi Ecclesiam universam visibiliter gubernet, nunquam nulloque modo est agnoscendum. Nam hujus rei neque ullam necessitatem, neque Christi voluntatem, aut institutionem ullibi in Sacris habemus. Necessitatem omnem tollit Christi omnipotentia & alia attributa divina. Voluntas autem Christi potius contraria in Scripturis exstat, Scilicet illæ nos docent, Christum

Ec-

Ecclesiæ suæ plures præfecisse Ministros, inter quos nemo præ cæteris omnibus primatum potestatis ac Jurisdictionis in Ecclesiam universam habeat. Sic (1) Christus Matth. XXIIX, 19 Marc. XVI, 11. parem potestatem ad Ecclesiam plantandam & gubernandam pluribus Ministris committit, neque quicquam potestatis uni tribuit, quod non pariter omnibus Apostolis conveniret. Et (2) si quando videri possit, Petro superioritatem & potestatem peculiarem adtributam fuisse, v. g. in pervulgato illo dicto Christi: *Tues Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non superabunt eam.* Matth. XVI, 18, 19. Alibi tamen Scriptura docet hæc communia esse pluribus, vid. Matth. xvi 11, 18. Joh. xx, 23. conf. Joh. xxi, 15 seqq. cum locis Act. xx, 28. & 1. Pet. V, 2

Similiter (3) 1. Cor. XII, 28. Eph. IV, 11. Paulus totum ordinem Hierarchicum (Ecclesiasticum) à Christo institutū recensens, neutri ibi capitis visibilis, quod universæ Ecclesiæ præsit, ullam mentionem fecit.

Et (4) quando corpus Ecclesiæ à Christo capite distingvit, fideles omnes, non solum in ordine ad Christum; verum etiam inter se invicem membra aliorum esse dicit, Rom. xii, 5.

Imo (5) licet idem Apostolus sæpe admodum de capite & membris Ecclesiæ differat, nusquam tamen ullô indicio significat, caput vicarium Ecclesiæ locum habere, § 5.

*12. At cur Patres Constantinopolitani in Symboli Niceni Adpendice, profitentur, se credere, in *unam* tantum Ecclesiam, cum tamen nomine multo plures sint Ecclesiæ?

Probe hic distingvendum est, inter unitatem Ecclesiæ *externam*; & *internam*; seu: (2) inter Ecclesiam *visibilem*, & *invisibilem*.

*13. Quid ergo est hæc unitas externa & Ecclesia visibilis?

Unitas Ecclesiæ externa & *Ecclesia visibilis* consistit vel [α] in unius ejusdemque doctrinæ fidei professione, (β) eorundem Sacramentorum participatione: & (γ) mutuâ omnium conversatione atque officiorum fraternæ charitatis mutuorum communione. Vel quando Ecclesia quædam, ratione unius capitis visibilis, Christi scilicet vicarii una dicitur. Hæc autem Ecclesia non est visibilis distincte; sed tantum confuse. Solus namque Deus novit, qui sunt sui, 2, Tim. II, 19. 1. Reg. IIX, 39. Ideo etiam neutra harum unitatum Christi Ecclesiæ veræ competit. *Illa* quippe perpetua non est; *hæc* autem vicarium caput mere fictitium habet, §. 13. & 28.

*14. Quid per unitatem Ecclesiæ internam & Ecclesiam *invisibilem* intelligis?

Per Ecclesiam invisibilem intelligo homines in Christum vere credentes, qui fide suâ in Christum, quæ cum dilectione non solum Dei, sed & proximi,

mi, nexu individuo conjuncta est, in unitatem fidei internam & invisibilem per Spiritum Sanctum mediante verbô & Sacramentis congregati, unô spiritu, unoque ore, Christum Ecclesiæ suæ unicum esse caput profitentur, atque ei, velut genuina hujus mystici capitis membra, penitissime adhærent. Et hæc unitas non in uno duntaxat visibili Ecclesiæ cœtu, sed & in pluribus latenter dari potest. §. 12. & 29.

15. Cur vero in Symbolo Apostolico dicis: Credo Ecclesiam *Sanctam?*

Ecclesia Christi proprie sancta dicitur (α) quia caput ejus, nempe Christus, sanctus est. (β) Quia Ecclesiæ vera membra omnia sancta sunt, & quidem sanctitate *tum* imputativâ, seu sanctitate Christi, sibi fide imputatâ; *tum* inhærente, quando videlicet homines fideles pietate, probitate alijsque virtutibus homine Christiano dignis, resplendent. Eph. V, 26. 27. §. 14. & 25.

16 Cur etiam in Symbolo Apostolico dicis: Credo Ecclesiam *Catholicam?*

Quandoquidem vox καθολικὸν, idem quod κατ' ὅλον i. e. secundum totum, vel universum significat: idcirco Ecclesia Christi dicitur, & est Catholica. (1) quatenus est orthodoxa, seu: quatenus doctrinam à Christo & Apostolis profectam, omnibusque fidelibus commendatam, atque unanimi eorum consensu receptam ac creditam, profitetur; atque sic obponitur Ecclesiæ heterodo-

xæ

xæ & falsæ, quæ scilicet doctrinam Christi corruptam & varijs errorum corruptelis contaminatam profitetur.

(2) Ecclesia dicitur etiam Catholica, quoad universalitatem, quæ est (α) respectu locorum, populorum ac gentium; quippe quæ non est ad certum locum populum aut gentem, vi institutionis, adligata; sed toto terrarum orbe per omnes populos ac gentes diffusa, vel certe diffundenda. (β) Secunda universalitas ecclesiæ est, respectu personarum, scilicet omnium fidelium: cum ecclesia universaliter ad omnes omnium nationum ac gentium fideles se porrigat & extendat. (γ) Tertia denique universalitas est, ratione temporis: cum ecclesia Christi inde à primo sui initio duret, & omni porro tempore sit duratura usque ad finem mundi. §. 15. & 25.

17. Cur denique Ecclesia dicitur *Apostolica?*

Ecclesia Christi dicitur Apostolica, eò quod doctrinam Apostolicam fide amplectatur & teneat. Ita enim dicitur superstructa super fundamentum Apostolorum, cujus unius angularis lapis Christus est. Eph. II, 20. §. 16.

*18. Ast quis est Ecclesiæ propriè dictæ *effectus* & finis?

Effectus Ecclesiæ Christi proprie dictæ, est admodum multiplex; inprimis vero α. *spiritualis vivificatio* eorum, qui jam sunt in Ecclesia; sive: fidelium, quos in sinu fovet, sanctificatio. β. *generatio-*

neratio aliorum plurium & regeneratio. Est quippe Ecclesia tale Christi corpus mysticum, cujus subinde aliquæ partes aut membra aliqua decedunt, & alia rursum generantur : atque sic horum accessu sese ab interitu vindicat. Hinc etiam dicitur, Ecclesiam esse fidelium matrem, ex qua filij spirituales, Christo subinde nascuntur.

γ. Denique salus æterna fidelium omnium, in vera fide in Christum usque ad finem vitæ suæ perseverantium, §. 17. & 10,

* 19. Quænam est Ecclesiæ definitio?

Ecclesia proprie dicta, est cœtus vere credentium & Sanctorum â Deo, & Christo θεάνθρωπῳ ex gratuito erga homines favore propter meritum Christi collectorum, Christo Domino ac Redemtori suo per veram fidem unitorum, in quo Christus per verbum & Sacramenta subinde aliquos regenerat, eosque per fidem sibi insitos, una cum alijs, jam ante regenitis, vivificat & sanctificat, ad corporis totius & membrorum singulorum ædificationem ac salutem. §. 18.

* 20. Quomodo porro Ecclesia Christi visibilis dividitur?

Cum Ecclesia Christi per orbem terrarum diffusa plures contineat cœtus partiales, qui & ipsi nomen ac definitionem Ecclesiæ sibi vendicant; proinde Ecclesia rursum dividitur admodum varie. 1. Ratione locorum alia dicitur Ecclesia *universalis*, quæ per totum orbem Christianum est diffusa; alia *particularis*, v. g. Ecclesia, quæ est Hierosolymis

Act,

Act. IIX. 1. Ecclesia Dei, quæ est Corinthi, 1. Cor. I. 2. Ecclesia Thessalonicensis 1. Thess. 1, 1. item Ecclesiæ Asiæ, Syriæ ac Ciciliæ 1. Cor. XVI, 19, Act. XV, 41. c. XVI, 5. 2. Cor. IIX, 1. Gal I, 2.

2. Ratione *regiminis Ecclesiastici*, aliæ dicebantur olim *Provinciales*, Metropolitano Episcopo subjectæ; aliæ *Episcopales*, minori & cuilibet Episcopo in certa quadam urbe degenti addictæ.

3. Ratione *regiminis secularis*: aliæ *Orientales*, aliæ *Occidentales*. ceu & Imperatores aut Principes, in quorum ditionibus Ecclesia hospitabatur, dicebantur.

4. Ratione *linguæ* vernaculæ; alia *Græca*; *Latina* alia fuit dicta Ecclesia.

5. Ratione *fidelium* & *infidelium* Christianorum, alia est *proprie* dicta Christi Ecclesia, seu *invisibilis*; alia *improprie* & Synecdochice (partis pro toto, quâ cœtui toti ex bonis & malis conflato tribuitur id, quod tantum parti convenit) seu *visibilis*. Item, alia dicitur *vera* seu *pura*, in qua potiorem partem constituunt vere credentes & sancti; alia *falsa* seu *impura*, in qua potiorem partem constituunt non sancti & impij in doctrina fidei morumque errantes. §. 19. & 23.

* 21. Ergone Ecclesia Christi constat ex bonis & malis?

Sane vere credentes & sancti, qui Ecclesiam Christi proprie dictam constituunt, habent ubique terrarum sibi admixtos, non-sanctos, sive peccatores, tam occultos, quam manifestos. Et quidem non solum quoad cohabitationem & societatem

mere civilem; verum etiam ita, ut aliquam cum vere credentibus societatem Ecclesiasticam & communionem externam habeant. Hinc ejusmodi cœtibus promiscuis nomen Ecclesiæ per Synecdochen tantum tribui solet. §. 21.

*22. Unde probas in Ecclesia Christi dari homines *Sanctos* & Non-Sanctos?

Probatur illud α. ex Parabolis Christi, de *agro*, in quo triticum & zizania, Matth. XII, 24. seqq. de *sagena*, in qua boni & mali pisces, v. 47. seqq. de *area*, in qua triticum & paleæ, concludantur Matth. III, 12. Luc. III, 17.

β. Probatur inde, quod qui prorsus remoti ac segregati à peccatoribus esse cupiunt, eos è mundo exire oporteat, inquit Paulus, 1. Cor. V, 10.

γ. Probatur etiam inde, quod homines non sancti & impij, licet vera Ecclesiæ membra non sint, membrorum tamen speciem mentiuntur, sive per nudam fidei professionem, sive etiam per Sanctitatis simulationem & factam pietatis formam. §. eod. & 27.

*23. Describas, amabo, plenius, quid sit Ecclesia *vera* seu *pura*?

Ecclesia vera seu pura, est congregatio hominum, in qua omnia, quæ ad salutem creditu, & ad vitæ sanctimoniam factu sunt necessaria, citra admixtos errores noxios, ex verbo Dei docentur, & Sacramenta, juxta institutionem Christi administrantur,

strantur, & sic Filij Dei Spirituales gignuntur, qui per veram fidem Christo capiti conjunguntur, & in ipso unum corpus fiunt. §. 24.

24. Quibus encomijs & *elogijs* Ecclesia Christi in Sacris insignitur?

Vera & invisibilis Christi Ecclesia dicitur *Sponsa* Christi passim : & quidem Sponsa non habens maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed sancta & inculpata, Ephes. V, 27. Item. *Domus* Dei, *columna* & *stabilimentum veritatis*, 1. Tim. III, 15. conf. 1. Pet. II, 4. seqq. Item *corpus* Christi Rom. XII, 4. seqq. Eph. IV, 7. 12. seqq. §. 20.

*25. An & quâ ratione in Ecclesia corrupta nascantur DEO fideles?

Sane in Ecclesia quoque corrupta nasci possunt, & nascuntur Filij Deo spirituales & fideles: & quidem per verbum Dei, quod ibi adhuc prædicatur, & per Baptismum, si modo in substantialibus juxta institutionem Christi, illic administratur. Nam quemadmodum, juxta Parabolam Christi Matth. XIII, in eo agro, ubi Paterfamilias bonum semen, inimicus vero zizania, seminavit ; tamen ex bono semine triticum bonum nasci potest : ita in cœtibus illis, ubi errores cum veris dogmatibus junguntur, potest ex verbo Dei fides concipi, erroribus non æque ad animos hominum penetrantibus, aut iterum ejectis: prout sane fideles, per Dei gratiam, inter pretiosum & vile, i. e. inter verum & falsum dogma, præsertim in Articulis fidei fundamentalibus, discernere possunt. §. 27.

*26. Quot & quænam sunt veræ Christi Ecclesiæ *notæ?*

Sensibiles & visibiles notæ Ecclesiæ Christi veræ seu puræ, mediantibus quibus Christianus homo Scripturarum Sacrarum peritus agnoscere potest, cœtum aliquem, esse veram Christi Ecclesiam, sunt genuinæ *duæ*: nempe *pura verbi Dei prædicatio*, & *legitima Sacramentorum administratio*. Etenim notæ istæ sunt veræ Ecclesiæ propriæ, & non communes falsis, quæ solummodo falso sibi easdem tribuunt. Quodsi vero contingat, ut Ecclesia visibilis nullibi habeat ministerium publicum incorruptum, adeoque tota lateat: hoc ipsô ergo quod lateat, notas sensibiles non habebit. §. 30.

*27. Quid porro de *Conciliis* & *Synodis* Ecclesiasticis statuendum?

Quandoquidem Ministerium Ecclesiasticum, itemque Concilia & Synodi, seu congregationes sacræ Ecclesiam suô modo repræsentant; merito igitur tales conventus instituuntur, & homines, tam *Clerici* & Ecclesiastici, quam *Laici* & politici, atque plebei, modo rerum sacrarum periti, solertes, pij ac pacis amantes sint, auctoritate Magistratûs supremi publica eo convocantur. Nimirum ut, initiô conveniente ordine, in exponendis dijudicandisque juxta Scripturas, ceu veram atque unicam totius religionis & conciliorum normam, controversijs fidei ac doctrinæ Christianæ, & quæ ad externum Ecclesiæ regimen & bonum ordinem pertinent, instituendis aut emendandis, ad ædificationem Ecclesiæ, Deique gloriam, occupentur. §. 31.

*28. Ast

*28. Ast quis *Conciliorum* & Synodorum Ecclesiasticorum *Præses* esse debet?

Præses seu moderator colloquij vulgo duplex constituitur : α. *Ecclesiasticus*, cui competit munus recte proponendi quæstiones, de quibus deliberetur, item postulandi colligendique sententias & decreta consignandi.

β. *Politicus* autem Præses præstet colloquentibus securitatem à vi externa : impediat tumultus internos & contentiones : confirmet ac promulget decreta eademque exsequatur. §. eod.

*29. Quomodo dividuntur Concilia?

In *Oecumenica* seu Universalia, & *Particularia*. *Illa* sunt, quæ vel ex universis per orbem Romanum ; vel pene universis Ecclesijs aliquos Episcopos aut viros doctos continebant, ceu in Nicæno Concilio sub primo Imperatore Christiano Constantino Magno 318. Episcopi fuere ; vel saltem ab Ecclesijs illis universis adprobata & recepta eorum decreta fuere, ceu Constantinopolitanum ex 150. Episcopis tantum orientalibus constans, ab occidentalibus tamen, licet absentibus, fuit adprobatum.

Hæc, seu Concilia *Particularia* sunt, quæ ex una saltem alterave parte Ecclesiæ convocabantur. Et hæc sunt *triplicia* nempe *Nationalia* quæ ex viris doctis unius nationis; *Provincialia*, quæ ex doctis unius Provinciciæ ; & Diœcesana, quæ ex viris doctis unius diœceseos convocabantur & constabant. §. 31. qui alias 32. est.

* 30. Undenam Concilia suam habent *Auctoritatem?*

Quamvis quidem non omnia concilia, ne quidem, quæ universalia adpellantur auctoritatem indubitatam habeant: quippe quorum aliqua graviter errasse constat. Interim, si qua auctoritatem indubitatam habent, eam tamen non inde habent quod Ecclesiam, quæ veritatis columna est, (non quidem in sensu Architectonico fulciens aut firmans; sed Politico, tabulas publicas & programmata sustinens)' representârint; verum dependenter à Scripturis sacris, & ex convenientia decretorum suorum cum Scripturis. §. 32.

31. Quid vero dicitur *Schisma* in Ecclesia?

Schisma est divisio Ecclesiæ in partes, articulos fidei fundamentales diversimode docentes, ac mutuam charitatem, pacem & Ecclesiasticam communicationem fraternam tollentes.

* Qui verò ab aliqua Ecclesia injuste excommunicati discedunt, & cum ea communicare desinunt; eis culpa Schismatis imputari non potest: eorumque odium, quô Schismatis auctores persequuntur, non adversatur charitati. Nam injuste excommunicati non tam recedunt ipsi, quam expelluntur: ceu cœtui Lutherano à Pontificiis factum. Adeoque manet Ecclesia injuste excommunicata, quoad unitatem internam conjunctissima, cum fidelibus in Ecclesia excommunicante.

Reti-

Retinet etiam jus docendi verbum DEI, & administrandi sacramenta, cæteraque ad cultum divinum pertinentia ordinandi. §. 23. 25.

* 32. Unde vero tot *oriuntur* Schismata?

Schismata oriuntur vel (α) ex dissensu doctrinæ in fundamento fidei: præsertim si ad corruptelas doctrinæ, sævitia & fraudes adcedant. Nam pertinax propugnatio erroris cum fundamento fidei pugnantis, seu hæreseos, necessariò etiam infert reatum Schismatis: prout etiam olim hæretici, qui turbam Sectatorum nacti peculiares cœtus constituerunt, ab Ecclesia orthodoxa excommunicati fuere. Similiter, quando rectæ fidei sectatores, qui ad servandum unitatis & pacis vinculum, quantum in se est, sunt parati: nec exauditi tamen, neque erroris convicti, damnantur: utique hâc sævitiâ, quæ charitati è diametro adversatur, unitas Ecclesiæ actu ipsô scinditur.

Vel [β] Schismata oriuntur, ex dissensu in partibus doctrinæ minus necessariis; aut ceremoniis, aut his, quæ ad regimen Ecclesiasticum pertinent: Si nimirum hæc talia, alia aliis sub opinione necessitatis obtrudant, à quibus isti, libertatis suæ Christianæ tenaces, abstinere malint & abstineant. §. 24.

* 33. Quid porro est in Ecclesia *Syncretismus?*

Syncretismus vi originis & primigeniæ significatio-

tionis suæ denotat profanam pacem, quam partes dissidentes adversus communem hostem ad tempus ineunt, odiis & injuriis, velut causis belli, manentibus. Unde simul constat, vocem Syncretismi, quando ad pacem Ecclesiasticam transfertur, rectius in malam, quam bonam partem adhiberi. Est igitur *Syncretismus, qua rem*, certa quædam partium religione, seu in ipsa Christianæ fidei & morum doctrina, dissidentium in concordiam fraternam & Ecclesiasticam, non obstante disidiô vigente, coalitio: ita ut vel errores doctrinæ, in parte dissentiente; vel saltem personæ ipsæ ex infirmitate & ignorantia in articulis fidei errantes, intra Societatem Ecclesiasticam, tanquam fratres in Christo, & cohæredes vitæ æternæ tolerentur. Utraque tamen tolerantia hæc non solum molesta; sed & vitiosa est. Nam ista errorum tolerantia (1.) Pugnat cum dictis Scripturæ, quæ jubent doctrinam Christianam totam à corruptelis servare, puram & illibatam 2. Thess. II, 15. 2. Tim. I, 14. c. III, 14. Non autem servabitur pura, quando obpositæ corruptelæ unà æque tolerantur, aut permittitur, ut admisceantur.

(2.) Pugnat tolerantia illa cum officio Elenchtico, quô reprehenduntur ac damnantur doctrinæ falsæ, doctoribus fidelibus â Deo injunctô Tit. I, 9. 13. 2. Tim IV. 2. c. III, 16. cui respondent exempla Christi, Matth. V, 21. seqq. XVI, 6. & Pauli, Gal. I, 6.

(3.) Tolerantia errorum ista est denique periculosa, eò, quod errores & corruptelæ illæ, nisi coër-

coërceantur, impugnentur ac damnentur, longius se diffundunt itemque veritas doctrinæ dubia reddit ac suspecta, vel saltem instar opinionis indifferentis habetur; denique ipsi errantes in erroribus suis obfirmantur; & seductoribus occasio plures inficiendi præbetur.

(4.) Personarum Syncretismum foventium tolerantia in primis cum præceptis de arguendis, increpandis & cavendis falsis doctoribus, & errorum propugnatoribus, Rom. XVI, 17. 2. Cor. VI. 14. 17. Gal. I, 8. c. V, 12. 2. Th. III, 6. 1. Tim. VI, 1. 3. Tit. III, 10. Adeoq; concordia cũ Pontificiis & Calvino-Reformatis, stãte dissensu, (qui omnino est in fundamẽto fidei, quoad rias partes doctrinæ creditu necessariæ,) est & illicita, & ideo studiose vitanda. §. 37.

* 34 Quid tandem nomine *Antichristi* intelligis?

Antichristi nomine *generaliter* acceptô denotantur quivis hæretici, qui falsa & cum doctrina Christi pugnantia dogmata spargunt & propugnant: quâ ratione in plurali ἀντίχριστοι πολλοί dicuntur, 1. Joh. II, 18. *Specialiter* autem & κατ' ἐξοχήν ὁ Ἀντίχριστος denotat insignem Christi adversarium, de quo rursum ibid. & 2. Thess. II, 3. seqq. prolixius agitur, eaque significatio hic loci spectanda est.

* 35. Describas igitur, quid sit *Antichristus*?

An-

Antichristus est series & complexus plurium nominum, in eadem impietate sibi succedentium, & in Ecclesia Christi quidem regnum peculiare, ac velut divinam in omnes potestatem sibi adrogantium; varias quoque doctrinæ & sacrorum publicorum corruptelas invehentium, & easdem fraudibus ac violentiâ multâ, obpressis veræ fidei confessoribus, propagantium; ita tamen, ut impietas ista tandem publice manifestanda atque arguenda, & Antichristus ille, Christô ad judicium veniente, abolendus sit. §. 38.

*36. Unde probas per Antichristum non unam, sed plures denotari personas?

Probo id (1.) ex maxime diuturna ipsius Antichristi duratione: quippe venturus erat sublatô Romano Imperio occidentali veteri, cujus sedes Romæ fuit; & duraturus usque ad adventum Christi glorioſum. Quæ sane duratio per tot secula, unius hominis ætatem prorsus excedit.

Prob. (2.) ex ipsius Antichristi origine seu plantatione & progressu. Etenim incrementa regni Antichristi, & res in eo gerendas ita describunt Scripturæ, ut unius hominis ætate omnia fieri sit imposſibile. vid. Apoc. XIII, XIV, XVII, §. eod.

PAR-

PARTIS III.
CAP. XIV.
DE
MINISTERIO ECCLESIASTICO,

QUÆSTIO I.

Quid est Ministerium Ecclesiasticum?

MInisterium Ecclesiasticum est primus status Hierarchicus; seu est officium publicum à Deo trinuno & Christo θεανθρώπῳ, ordinatum, in quo certæ personæ legitime vocatæ & ordinatæ verbum Dei docent, Sacramenta administrant, peccata remittunt ac retinent, & cætera, quæ ad Ecclesiam pertinent, curant ac dirigunt, ad hominum conversionem, sanctificationem & æternam salutem. Vid, B. Auct. §. 15,

2. Unde probas Ministerium Ecclesiasticum, non ab hominibus, sed à DEO ipso esse institutum?

Probo id (1.) variis Scripturæ Sacræ dictis: Jerem. III, 15. *Hæc dicit Dominus ad Israël: dabo vobis Pastores, juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.*

cap. XXIII, 4. *Suscitabo super Israël pastores, & pascent eum.*

Gal. I, 16. *Cum placuerit ei,* [Deo Patri] *qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per*

per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut Evangelizarem illam in Gentibus : continuò non adquievi carni & sanguini.

Luc. IX, 1. *Jesus convocatis* (à se) duodecim *Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut langores curarent.*

v. 2. *Et misit illos prædicare regnum DEI & sanare infirmos.*

Matth. XXVIII, 19. Jesus dixit ad discipulos suos: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos, in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.*

Marc. XVI, 15. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Joh. XX, 21. *Sicut me misit Pater* (inquit Christus ad suos discipulos) *ita & ego mitto vos.*

1. Cor. XII, 28. *DEUS posuit in Ecclesia quosdam primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, deinde dona sanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.*

Probo (2.) ex aliis rationibus in Scriptura contentis. Nimirum [α] quia Deus revelavit, quæ ad ministerium hoc recte gerendum spectant, v. g. quæ doctrina prædicanda, Gal. I, 8. 9. 2. quæ ad docendum, arguendum, mores emendandos ac formandos pertinent 2. Tim. III, 14. seqq. c. X, 16. seqq. ; (β) quia Deus officium hoc certis personis imponit, aut ad illud obeundum homines mittit Psalm. LXVIII, 12. Matth. IX, 38. Luc. X. 1. Ebr. V. 4. (γ) Quia Deus concurrit cum actionibus Ministrorum 1. Cor. III, 5. seqq. §. 2.

*3. Cur

*3. Cur vero Ministerium Ecclesiasticum est à DEO institutum?

Equidem poterat Deus immediate (& non adhibendo Ministerium Ecclesiasticum, sed per se) homines quosvis illuminare ac fidem illis conferre, collatam conservare atque augere: Placuit autem ei certum ordinem atque media eorumque usum præscribere ad consequendam suâ gratia fidem, per verbi sui prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem, hominibus ingenerandam, conferendam, confirmandam & augendam, item ad reconciliandos per fidem cum Deo homines & æternæ salutis consequendæ gratia. Ideoq; revelationem & suæ voluntatis divinæ manifestationem per seipsum ad paucos factam, non solum ministerio horum, ac succedentium aliorum ad plures homines deferri promulgarique; verum etiam declarari atque inculcari, quæque credenda & agenda essent, pro captu & statu hominum variorum proponi, confirmari atque à corruptelis defendi voluit. Atque hæc est *palmaria* Ministerij *necessitas*. *Altera* est, quod doctrina fidei, rationis humanæ captum excedat, ideoque ex sola Scriptura Sacra discenda est: quam tamen ordinarie nemo felicius alijs instillare potest, quam qui eadem probe est imbutus. Atque hinc officium *Apostolatûs* διακονία i. e. Ministerium, adpellatur Act. I, 17. c. VI, 4. XXI, 19. Rom. XI, 13. 1. Cor. XIII, 8. 9, Et Paulus se atque alios vocat ὑπηρέτας Χριστοῦ, καὶ οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ, i. e. Ministros Chri-

Christi & dispensatores mysteriorum Dei. 1. Cor. IV, 1. Alibi Δῶλον χριστοῦ, i.e. servum Christi se appellat, Tit. I, 1. §. 1. 3. & 14.

4. Quot modis Deus homines ad officium Ecclesiasticum vocat; seu *quotuplex* est Ministrorum Ecclesiæ vocatio?

Duplex: Immediata & Mediata. *Illa* est, quâ Deus nullâ intercedente arbitraria aliorum hominum opera, quempiam ad officium *E*cclesiasticum ipse vocat. Ita *Moses* Exod. III, 10. *Aaron*, Exod. IV, 14. *Prophetæ* plurimi in Veteri Testamento; item *Apostoli* in Novo, vocati & à Deo ad officium eorum sacrum obeundum denominati fuere.

Hæc, seu vocatio *Mediata* est, quando Deus per *E*cclesiam, quæ, postquam plantata est, jus & facultatem constituendi Ministros à Deo impertitum habens, nomine Dei munus *E*cclesiasticum certis personis committit. §. 3.

* 5. Unde vero probas *Ecclesiæ* jus istud *vocandi* Ministros à DEO esse impertitum?

Probo illud α. inde, quod Ecclesiæ, velut Christi Sponsæ à suo Sponso spirituali datæ sint claves regni cœlorum, Matth. XVI, 18. XXIII, 17. Proinde quemadmodum ejus est, aperire & claudere regnum cœlorum; ita etiam ejus est, constituere Ministros, per quos regnum cœlorum adperiat & claudat,

Probatur

Probatur 5. Quandoquidem Ecclesia est quædam Respublica,& Ministri verbi, velut Magistratus,seu gestores publicorum negotiorum , quibus cura totius reipublicæ commissa incumbit. Idcirco potestas constituendi Ministros verbi in tota residet Ecclesia : adeoque hoc munus non convenit uni alicui parti,nisi ex communi omnium consensu in unam aliquam partem trans lata sit.

Prob. 7. ex praxi usu & consvetudine primitivæ Ecclesiæ Christianæ,quod scilicet Ministri Ecclesiæ inde usque ab Apostolorum tempore, semper totius Ecclesiæ consensu fuerint constituti. Vid.Act-VI,5.& XIV,23.

Prob. 8. ex subsequentium seculorum observatione,quando nimirum ex Historia Ecclesiastica constat,post Apostolorum quoque tempora multorum seculorum decursu , Ministros verbi communibus suffragijs totius Ecclesiæ fuisse constitutos. Vid.Marc. Anton. de Dominis Lib. 3. de Rep.Eccl.3.B.Auct,§.3.

* 6. At,velim,unde probabis *jus* & potestatem constituendi Ministros, etiam *Ecclesiis particularibus* à consortio cæterarum per injustam excommunicationem separatis,competere?

Probo illud inde potissimum : a. quod Ecclesiæ particulares per injustam excommunicationem, quam patiuntur,separatæ, non desinunt esse veræ

Ecclesiæ: adeoque nec jura, quæ omnibus veris Christi Ecclesijs conveniunt, amittunt. §. Quæcunque jura sunt Ecclesiæ Catholicæ seu Universali, ad ædificationem spiritualem, ceu communem finem, concessa; illa omnia, quatenus ad Ecclesiam Catholicam pertinent, sibi Ecclesiæ particulares, sub Universalibus contentæ, & per quas Catholica ædificari debet, recte vendicant. §. 4.

*7. Quæ & quotnam *requisita* circa *vocationem* Ministrorum mediatam sunt observanda?

In primis *tria* (1) *Electio* seu judicium de dignitate personæ ad Ministerium sacrum admovendæ, ratione eruditionis & donorum, ad actiones officij rectè obeundas necessariorum, ejusque ad ministerium *designatio*: Prout namque Apostoli ad multitudinem discipulorum seu fidelium dixere; *Circumspicite, fratres, viros ex vobis, spectatæ probitatis, plenos Spiritu Sancto & sapientia, quibus delegabimus hoc officium*, Act. VI, 3. 5. Rom. X, 15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est; quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* conf. 1. Tim. III, 2. seqq. Tit. 1, 6. seqq. ubi Paulus prolixius requisita Episcopi sive Ministrorum in electione observanda recenset.

(2) Requiritur ad vocationem Ministrorum *Ordinatio*, sive personæ electæ solennis & per certos ritus facta inauguratio ad officium sacrum. Hæc autem *Inauguratio* rectissime more Apostolicô peragitur, per preces scilicet ardentes, & manuum impo-

impositionem, ceu videre est Act. VI, 6. 1. Tim. IV, 14. V, 22.

(3) *Vocatio* specialiter sic dicta, seu potestatis ad verbum Dei in conventibus publicis docendum, & Sacramenta administranda, concessio ac functionis demandatio: quæ hodie fieri solet per literas, quas vocant, *Vocatorias*. §. 5.

* 8. Quâ vero ratione ordo Ecclesiasticus & Secularis juxta hæc requisita Ministerij vocationem perficiat?

1. *Ecclesiastici* ordinis, quem vulgo Clerum vocant, munus est, explorare eruditionem ac cætera dona necessaria in examine publico pariter ac privato personæ eligendæ, deque illis ferre judicium. Deinde personam designatam sive electam ritu solenni ordinare: quod quidem utrumque agit nomine Ecclesiæ. Et cum de jure divino, *Episcopus & Presbyter, non differant*; perinde igitur est, utrum *ille*, aut *hic* fuerit, qui ritum ordinationis peragat: sufficit exploratæ ἱκανότητος & factæ ordinationis testimonia luculenta exhiberi Ecclesiæ illi, cui ministraturus est.

2. *Secularis* ordo fere in judicio Ecclesiastici ordinis de personæ habilitate adquiescit, nisi quod auditâ concione, de donis externis, doctrinæque sinceritate, ac præterea de ratione vitæ, si quid recte monuerit, merito adtendendum est.

3. Ecclesiasticus juxta atque secularis ordo *junctim* designant sive eligunt personam ad ministerium, atque ita unanimi consensu potestatem do-

cendi verbum,& Sacramenta administrandi personæ electæ confert.

In Protestantium Ecclesijs usu frequentiore receptum est,ut Patrono Ecclesiæ (seu ei,qui aliquando fundavit aut dotavit Ecclesiam ; vel in ejus locum succesit) jus eligendi,sive nominandi & præsentandi competat : jus examinandi denominatum ac de ipso,an ad ministerium idoneus sit, judicandi,Episcopo tribuitur : ac per consistoria aut collegia Theologica exercetur. Agnitâ dignitate seu aptitudine examinati, is toti demum Ecclesiæ sistitur,ut publice audiatur : atque ita vel ab Ecclesia , vel à Patrono , consentiente Ecclesia , vocatur ; ab Episcopo autem , vel jussu ejus , penes quem sunt jura Episcopalia,per Ministros Ecclesiæ ordinatur,ac denique confirmatur. §.6.

*9. In quonam inprimis *officium* & potestas Ecclesiastici *Ministerii* consistunt?

Munus ministerij ecclesiastici & potestas in primis in his duobus : (1) Verbum Dei publice (privatim,& privatis personis , v. g. Parentibus suos liberos , & peritioribus imperitos, non tamen cum scandalo Ecclesiæ , vel seducendo alios , instruere licet,juxta Act.XIIX,26. Eph VI,4. Colos.III,16.) docendo ; Sacramentaque ordinarie legitimeque administrando (2) potestatem & munus remittendi peccata,habendo §.7.

*10. Quid vero ad *officium docendi* pertinet?

Ad officium docendi pertinet, α. ut dogmata

dogmata fidei, divinitus revelata, pro captu Auditorum, perspicue proponantur, explicentur, & solide confirmentur, ne Auditores instar puerorum fluctuantes à quôvis vento doctrinæ se circumferri patiantur, juxta 2. Tim III, 16. c. II, 4. 15. & 1. Tim. III, 2. Eph IV, 14. 2. Pet. III, ult. Coloss. 1, 9.

β. Ut errores obpositi, non quidem promiscue omnes, utcunque obsoleti, aut sepulti, sed de quibus metuendum est, ne aliunde insinuentur animis, distincte monstrentur, & tanquam cum verbo Dei pugnantes atque noxii arguantur. Contra vero, Evangelica veritas articulorum fidei ab Antagonistarum objectionibus, & exceptionibus vindicetur, atque ipsi Adversarii eo adigantur, ut, non habentes, quæ sub specie veritatis porro obponant, obmutescere cogantur conf. 2. Tim. II, 6. Tit I, 9.

γ. Refertur inter opera Ministerij ἡ παιδεία i. e. *institutio* in justitia, aut sanctimonia vitæ, 2. Tim. III, 16. Igitur quæ *agenda* dicuntur, i. e. quicquid juxta Legem Dei & Christianorum officia in quovis statu, faciendum, diserte doceantur, atque ad ea præstanda, adductis argumentis firmis, & ad persvadendum idoneis homines excitentur ac moveantur.

δ. *Fugienda* vero peccata ac vitia omnia, quoad culpam & reatum pœnæ spectanda exhibeantur, atque animi hominum inde abstrahantur & emendentur, juxta l. c. 2. Tim. III.

ε. Denique *Afflictorum* atque anxiorum mentes, *solatiô*, conditioni ipsorum congruô ac divinitus oblato, erigantur & confirmentur. Cum, *quæ ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sint, ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*, Rom. XV, 4. §. 8.

*II. Quid vero in *administratione Sacramentorum* Ministris Ecclesiæ *adtendendum*?

In administratione Sacramentorum adtendere debent Ministri Ecclesiæ. α. Ut tenorem institutionis cujusque Sacramenti, juxta Matth XXVIII, 19. Joh. III, 5. 1 Cor. XI, 23. adcurate observent. β. Ut media illa gratiæ his, qui opus habent, neque indigni sunt, tempestive conferant. Nimirum ne suâ culpa infantem absque baptismo; aut adultum hominem, contritum ac desiderantem, sine Eucharistiæ collatione, mori patiantur.

γ. Denique quos aperte constat esse indignos, & qui repelli possunt, non æque ad sacramenta, (præsertim ad posterius) admittantur: ne videlicet *sacra canibus, aut margaritæ porcis* projiciantur, Matth. VII, 6. §. 9.

* 32. Quid porro circa *remittenda* peccata Ministerio Ecclesiæ observandum?

Quoad officium remittendi peccata, observandum est, quoad remissio peccatorum adnuncianda sit non solum α. *Universaliter* & indeterminate, omnibus pœnitentibus & credentibus in Christum: prout

prout in Ecclesiis nostris, singulis diebus dominicis, prælectâ generali formula confessionis, absolutio quoque generaliter concepta adjicitur. Sed β. Remissio peccatorum adnuncianda est etiam specialiter omnibus personis adultis, qui editâ Confessione tam coram Deo, quam coram ipso Ministro Ecclesiæ, peccata sua vel in communi, vel, si quæ angant, speciatim nominatimque confitendo, pœnitentiæ fideique suæ veræ signa probabilia cum displicentia, detestatione peccatorum & desiderio emendâdi vitam, ediderunt atque à peccatis absolvi petunt §. 10.

13. Unde vero serio confitentes sua peccata, certi esse possunt, de certa remissione confessorum peccatorum suorum?

Inprimis ex verbis Christi ad discipulos factis: *Quorumcunque remiseritis peccata, ea remissa sunt eis; & quorumcunque retinueritis, retenta sunt*, Joh. xx, 23. Hinc declaratio illa ministerialis, quâ *remissio* peccatorum adnunciatur, *privatim*, *non nuda*, sed *efficax* est, ad confirmationem peccatorum à Deo factæ. Quod enim voce ministri significatur, id ipsum revera contritis & credentibus voce illâ mediante præstatur & exhibetur; quin & divinitus ita confirmatur, acsi coram Christus ipsemet pœnitenti diceret id, quod Paralytico dixit: *Confide fili, remissa tibi sunt peccata*, Matth. X, 2. §. eod.

* 14. Quid tandem circa *retentionem* peccatorum Ministro Ecclesiæ observandum?

Quoad retentionem peccatorum Ministri Ecclesiæ est, ut non solum *Universaliter* hominibus incredulis & impœnitentibus omnibus denunciet iram Dei ac pœnas, ceu rursum talis formula generalis in nostris Ecclesiis absolutioni generali adjicitur; Verum etiam in *particulari* aut singulari, determinando certam personam, nimirum peccatoribus enormibus & notoriis 2. Cor. V, 3. 1. Tim. I, 20. V, 20. deneget remissionem peccatorum, eosque ex consensu Ecclesiæ vel ab usu Sacræ Cœnæ tantum arceat; vel prorsus ex Ecclesiæ societate ejiciat, ac Satanæ tradat, juxta Matth. XVIII, 17. VII, 6. 1, Cor. V, 3. seqq. Hinc denegatio remissionis peccatorum, dicitur aliàs *Excommunicatio minor*; Satanæ vero traditio ecclesiastica *Excommunicatio major* vocatur. §. 11.

* 15. Num tanta vis est Ministerio Ecclesiastico, ut & peccata retinere & malos Satanæ tradere queant?

Sane ejus declaratio, non nuda, sed efficax est sententia. Nam ipsa adplicatio comminationum legalium ad homines reos pondus ingens habet: peccatores autem, qui non solum in Deum, verum etiam in Ecclesiam peccarunt, utique etiam ab Ecclesia ligari possunt, neque apud Deum gratiam consequentur, nisi cum Ecclesia in gratiam redierint,

rint, & ab illa solvantur. Injustè vero excommunicatorum alia est ratio. §. eod.

*16. Sed circa *ritus* & *ceremonias* ecclesiasticas, quid Ministro Ecclesiæ sciendum?

Res Ecclesiæ externæ, seu ritus ac ceremoniæ, circa quas Ministri Ecclesiæ versantur, sunt quidem in se *indifferentes*, ideoque sub ratione cultûs aut meriti erga Deum, aliis obtrudi nequeunt. Quia vero ad Ecclesiæ ædificationem auctoritate publicâ Ecclesiæ sunt destinatæ, & ad pædagogiam externam sunt instituendæ & frequentandæ; igitur non nisi prudenter i. e. sine levitate & scandalo, sine tumultu ac petulantia, nec nisi propter causas sonticas, & ex usu Ecclesiæ, mutari aut abrogari possunt. Scilicet ne adversarijs in causa religionis, mutationem rituum exigentibus, intempestive cedatur. In casu quippe confessionis, *Adiaphora* mutant quasi naturam suam, & ex indifferentibus fiunt necessaria, §. 12.

*17. Quænam est apud B. Auctorem Ministerii Ecclesiastici definitio?

Ministerium Ecclesiasticum est officium publicum à DEo ordinatum, in quo certæ personæ legitime vocatæ & ordinatæ, verbum Dei docent, sacramenta administrant, peccata remittunt ac retinent, & cætera, quæ ad Ecclesiam pertinent, curant ac dirigunt ad hominum conversionem, sanctificationem & salutem æternam. §. 15.

PARTIS III.
CAP. XV.
DE
MAGISTRATU POLITICO.
QUÆSTIO I.

Quis est alter statusHierarchicus?

ALter status, qui in Ecclesia locum habet, est eorum, qui civili potestate pollentes, cæteris præsunt, atque adeo salutis publicæ curam sibi commissam habent. Vulgo dicuntur, Magistratus tam superior, quam inferior. Vid. B. Auct. §. 1.

2. Describas, velim, quid sit Magistratus?

Magistratus, *(abstractivè* seu) quatenus denotat munus personarum publicarum, est officium publicum, à DEO ordinatum, in quo certæ personæ legitimè vocatæ, & potestate circa res civiles itemque sacras instructæ, in republica Leges ferunt, eamque adversus hostes externos defendunt, judicia exercent, & transgressores puniunt, salutis publicæ causâ. §. 15. Magistratus verò *(concretivè)* pro persona Magistratum gerente sumtus, & persona, aut multitudo personarum divinitus vocata, & potestate circa res civiles itemque sacras instructa, ad ferendas Leges, ad exercenda judicia & puniendos refractarios, denique defendendam Societatem civilem, salutis publicæ causâ. §. 16.

3. Un-

3. Unde evinces, Magistratum à DEO esse institutum?

Istud facile evincam (a) dictis Scripturæ Sacræ seqq.

Num. XXVII, & 15.16. Moses ait ad DEUM. *Provideat Dominus DEUS spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc: Et possit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore.*

Prov. VIII, 15. 16. *Per me*, inquit Deus, *Reges regnant, & legum conditores justa decernunt: Per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.*

Dan. II, 20. *DEUS ipse mutat tempora & ætates: transfert regna atque constituit.* conf. Deut. I. 15. seqq. Exod. III. 10. §. 2.

Rom. XIII, 1. *Non est potestas, nisi à DEO. Quæ, autem sunt potestates, à DEO ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

* (6) Magistratum esse à DEO institutum, probatur etiam ratione. Ad Deum enim tanquam Auctorem Magistratus referendus est instinctus naturæ, per quem omnes gentes ad statum talem in societatibus publicis constituendum & conservandum, feruntur: ita ut necessitatem hujus statûs ad conservandam honestatem ac tranquillitatem publicam, ductu luminis naturæ & ex dictamine rationis suæ, agnoverint. §. eod.

4. Quot

4. Quotmodis Magistratus officium à DEO certis personis committitur seu *quotuplex* est *vocatio* Magistratûs Politici?

Vocatio Magistratus Politici est duplex: *Immediata* & *Mediata*. Committitur namque Magistratûs officium certis personis à DEO (1.) *immediatè* & nullâ hominum opera arbitraria intercedente: quemadmodum olim Deus Mosen, Josuam, Saulem & Davidem, absque hominum opera imperio admovit, vid Exod. III, 10. Num. XXVII. 18. Deut. III. 28 1. Sam. IX, 15. seqq. XVI. 12. Vel (2.) *Mediatè*, sive intercedentibus consiliis hominum & operâ voluntaria: quæ ratio ad hoc munus perveniendi hodie sola valet. Fit vero hæc vocatio legitime *trifariam* (α) per *Electionem* & suffragia eorum, qui jus Magistratum eligendi habent [ ] per *Successionem*, quando jure hæreditario à parentibus liberi, aut ab agnatis, consanguinei, imperium accipiunt. (γ) vel per legitimam *occupationem*, quando bellô legitimo devicti hostes subjiciuntur victori, à quo conservantur § 3.

5. Circa quid versatur Magistratûs officium?

Magistratus supremi officium & potestas versantur circa omnia, à quibus salus reipublicæ pendet, adeoque circa res cum civiles, tum sacras: modô tamen diverso, Magistratûs verô inferioris potestas

stas est tantum limitata & restricta potestas, adeoque tantum in adsignatis sibi à supremo Magistratu limitibus, pro certa negotiorum, rerum & personarum ratione, se continere debet. §. 4.

* 6. Quâ ratione vero res civiles potestati Magistratûs subjacent?

Res civiles per se subjacent potestati Magistratûs supremi, ut pro suo arbitrio de omnibus præcipere ac disponere possit, modo juri naturali ac divino, (i. e. sanæ rationi & Scripturæ Sacræ) ad quæ unice obligantur, non repugnet. In cæteris autem, seu quoad leges humanas mere positivas in Scriptura Sacra non fundatas, libera plane est suprema Majestas, cum nec talis lex eam obligare possit; neque agnoscat Majestas alium in terris se superiorem. Itaque potius aliis ipsa leges ferre, & non solum leges naturæ ac divinam urgere; verum etiam, quæ in illis definita non sunt, definire, præcipere ac disponere de iis possit. Inferiores autem Magistratus dependent à superiori potestate, nec ullam habent plenam agendi licentiam §. 5.

* 7. Quâ ratione autem res sacræ & Ecclesiasticæ Magistratui Politico subjacent?

Quod ad res sacras adtinet, dogmata quidem fidei, secundum se, non subsunt potestati Magistratûs: nam hôc ipso, quod à Deo tanquam credenda hominibus revelata sunt, ipsum etiam Magistratum Supremum obligant, nec ullam aliquid mutan-

mutandi licentiam ei relinquunt, vid. Gal. I, 9. Deut. IV, 2. V, 32. XII, 32. Similiter ex Actionibus divinitus præscriptis, illas, quæ omnibus Christianis sunt communes, Magistratus ipse quoque summus observare & exercere debet; v. g. actiones Christianarum Virtutum quarumvis, & sic etiam quæ ad cultum publicum atque ad usum Sacramentorum adtinent. Quæ vero Ministris Ecclesiæ proprie sunt, exempli gratiâ, publicè docere in Ecclesia, Sacramenta administrare, &c. eadem ecclesiastasticis personis relinquat, ac sibi vendicet minime. Reliqua autem, quæ rebus Sacris adnumerari solent atque ad cultum Dei ordinantur, & vel ad veræ religionis conservationem; vel ad ejusdem collapsæ instaurationem, faciunt, sub potestatem Magistratûs politici suô modo cadunt, juxta 1. Tim. II. 2. §. 6.

9. Quomodo igitur officium Magistratus dispesci solet?

In *Legislatorium*, *Judiciarium* & Punitivum. §. 7.

10. Quid est officium Magistratus Legislatorium?

Hoc officium dicitur juxta Græcos Νομοθετικὸν: cujus vi certæ regulæ agendorum & omittendorum præscribuntur illis, qui pars reipublicæ, aut subditi sunt. Atque hi obligantur ad ὑποταγὴν seu subjectionem & paritionem. *Omnis anima*, inquit Paulus, *potestatibus superemi-*

minentibus subjecta esto, Rom. XIII, 1. conf. Tit. III, 1. §. eod.

11. Quodnam est Magistratûs officium *Judiciarium?*

Ut Magistratus Politicus causas dubias aut perplexas, quæ vel privatorum sunt, vel societatem ipsam adtinent, cognoscat, & habitâ deliberatione sententiam ferat: in qua subditis est adquiescendum. Tale officium agnovit Paulus in Felice, Præside Provinciæ Judaicæ, Act. XXIV. 10. seqq. præcipue autem in Cæsare, Act. XXV, 10. 11. Græcis dicitur Δικαστικὸν §. eod.

12. Quod autem est officium Punitivum?

Ut Magistratus eos, qui legibus non parent, aut in sententia Judicis non adquiescunt, compescat aut flectat, aut pro ratione delictorum è societate civili aut vita ipsa per supplicia capitalia, Gen. IX, 6. de sangvine homicidæ effundendo, concessa prorsus tollat. Sic & Rom. XIII, 3. dicitur, Principes terrori esse male agentibus, & v. 4. Potestatem (magistratus) ultorem esse ad iram male agenti. §. eod, & 9.

* 13. Quænam vero magistratûs in specie *cura sacrorum?*

Quoad Sacrorum curam pertinet ad superiorem Magistratum, ut (1.) legitime constituat idoneos Ecclesiæ Ministros. (2.) Academias, Scholas ac Templa, cum sibi adnexis erigat & conservet eorum

rumque Ministris de honesta sustentatione prospiciat: Unde *Nutritii* dicuntur Magistratus, Ecclesiæ dicuntur Magistratus, Esa XLIX, 23. (3.) Visitationes & Concilia instituat, ad exemplum piorum regum in Veteri Testamento, v. g. *Davidis* 1. Chronic. XXVIII. Josaphati, 2. Chronic, XVII, seqq. Ezechiæ, c. XXIV, 4.

4. Leges Ecclesiasticas condat ac tueatur, v. g. de exercitio, cultûs divini externo, de ceremoniis ac jejuniis, de ordinibus & functionibus ministrorum &c. vid. exemplum *Davidis*, Chronic. XXIV. & seqq. atque Josaphati, 2. Chron. XIX. 8. XX, 3. (5.) Bona Ecclesiastica dispenset, exemplo *Joasi* 2. Reg. XII, 4. seqp. & *Josiæ*, 2. Reg. XXII. 4. (6.) disciplinam Ecclesiasticam conservet, in Hæreticos, itemque improbos Ecclesiarum Ministros, æque atque alios quosvis similes, inquirat, & ut sese judicio sistant, compellat, convictos hæreseos aut scelerum puniat, manifestas & ab Ecclesia damnatas hæreses, cultusque idololatricos abroget, & ut Ecclesia ab illis purgetur, curet &c. exemplo *Salomonis*, Abiatharem à Sacerdotio removentis, 1. Reg. II, 26. 27. *Asse*, qui effœminatos è terra ejecit & sordes idolorum removit, 1. Reg. XV, 12. *Josaphati*, qui excelsa sustulit, 2. Chron. XVII, 6. *Ezechiæ*, qui cultum sacrum, remotis corruptelis & abominationibus, plenius restituit, 2. Reg. XVIII, 4. & 2. Chron. XXIX, 5. seqq. *Josiæ*, similia præstantis, 2. Reg. XXIII, 4. seqq. 2. Chron. XXXIV, 3. seqq. §. 7. Ante omnia, in omnibus his, & id genus, negotijs consiliô sincerorum Ecclesiæ Doctorum ac Pastorum, in Senatu Ecclesiastico, vel Consistoriis, ex

per-

personis tam Politicis, quam Ecclesiasticis constantibus, vel in Academicis Collegiis Theologicis utitur, juxta mandatum divinum, Devt. XVII. 18. Jos. 1, 2. & exempla laudatorum Regum, *Davidis* 1. Chron. XVI, XV II. *Asse* 2. Chron. XIV, XV. *Josaphati*, c. XVII. & XIX, *Ezechiæ*, c XXIX, XXX. *Josiæ*, c. XXXIV. XXXV. §. *8.*

13. Licetne etiam Magistratui Christiano legitima *Bella gerere*? ?

Equidem solicitè cavendum est Magistratui Christiano, ne, quamdiu leniora media præsto sunt, protinus ad bellum accedatur; neque ad libidinem explendam instituatur. Nihilominus tamen publicæ salutis ac tranquillitatis ergo ad injustam vim hostium à subditis innocentibus, totaque republica propulsandam, itemque religionem & libertatem atque bona tuenda, eidem bellum gerere modo ac mediis legitimis, absque inhonestis stratagematibus, licet. Nam illud [1] jure naturæ permissum esse constat: cum vim vi repellere cuique liceat.

(2) & in ipsa quoque Scriptura Veteris Testamenti, Deus non unâ vice populum suum bellum gerere jussit, & rationem belligerandi ipse præscripsit: quo de passim in libris Mosis, &c.

(3) In Novo Testamento etiam nemini viro militari, sacra Christianorum suscipienti, necessitatem deferendæ militiæ impositam legimus.

(4) Johannes Baptista quoque supponit stipendia mereri, adeoque militare licere, quando militibus quærentibus: *quid sibi factu opus esset*? Re-

spondit: *Estote contenti stipendiis*, ceu videre est Luc. III, 14. Imo vero (5) Christus ipse Matth. IIX, 9. seqq. & Lucas Act. x, 1. seqq. fidem militum laudant, eosque, non obstante militari statu DEO acceptos pronunciant. §. 10. & 11.

14. Cui, & quâ ratione verò, *religionis bellum* suscipiendum gerendumve?

Ordinariè Magistratui tantum ad religionem tuendam, armis uti licet. Subditis autem, qui jus belligerandi non habent, contra Magistratum religionem armis defendere seriò cavendum est. Imo neque Magistratui, ad amplificandam religionem, vel infidelium religionem corrigendam, velut sub specie adplicandi media conversionis, vi militari, uti licet. §, 10.

15. Quinam vero sunt supremi Magistratus subditi?

Supremi Magistratus subditi sunt omnes homines, qui in Republica continentur, & non sunt ipse Magistratus. *Omnis* quippe *anima potestati* Magistratûs *subdita esse debet*, docente Paulô, Rom. XIII, 1. *Si quis tentat excipere, conatur decipere*, inquit Bernh. Ep. 42. §. 12.

16. Ergone inter Clericos & Laicos nulla est differentia?

Hoc locô nulla, quatenus videlicet utrique spectantur, ut membra Reipublicæ. Nam & Christus ipse Magistratui se subjicit, & Paulus: quo de Matth. XVII, 27. Joh. XIX, 11. Act. XXV, 10 seqq. XXVI, 32. Quatenus vero Clerici, Ministri Sacrorum

rum sunt, ita, cum sacris dogmatibus suis & actionibus divinitus demandatis, non simpliciter Magistratui civili subjiciuntur: adeoque jussis ejus absolute & in quovis casu, præsertim contra DEI nutum, parere non tenentur: *Deo* quippe *magis obediendum est, quam hominibus*, Act. V, 29. §. eod.

17. Quænam sunt officia Subditorum erga Magistratum superiorem?

Subditi obligati sunt ad exhibendum Magistratui (1) *Honorem*, non solummodo *externum* in dictis & factis consistentem; sed & *internum* cum reverentia animi conjunctum. Nam Paulus de Magistratibus quibuslibet docens ait: *Reddite omnibus, quod debetis, cui tributum* (debetis) tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem, Rom. XIII, 7. Petrus quoque, *honorate*, inquit, *Regem*, 1 Ep. c. II, 11.

(2) Subditi tenentur Magistratui præstare *obedientiam*, in omnibus, quæ non sunt contra voluntatem DEI; non autem longius: adeoque si quid iniqui postulet Magistratus, modeste denegandum est obsequium: cum DEO magis sit obediendum quam hominibus, uti dictum, Act. V, 29. conf. c. IV, 19.

(3) Subditi porro tenentur Magistratui, non solum tributa, juxta l. c. Rom. vers. 6. 7. Sed & *preces* pro salute Magistratûs tam *fidelis* ac pij, quàm improbi & *infidelis*. Paulus namque seriò hortatur, ut *fiant deprecationes, preces, interpellationes & gratiarum actiones, pro quibuvis hominibus: pro Regibus & quibuvis in eminentia*

constitutis: ut tranquillam ac quietam vitam ducamus, cum omni pietate & veneratione: nam hoc bonum est & acceptum in conspectu Salvatoris nostri DEI, 1. Tim. II, 1. seqq. §. 13.

PARTIS III.
CAP. XVI.
DE
STATU & SOCIETATE DOMESTICA & SPECIATIM CONJUGALI, PATERNA ATQVE HERILI.

QUÆSTIO I.

Quinam est *tertius status Hierarchicus?*

TErtius status intra Ecclesiam occurrens, est domesticus, seu œconomicus aliàs dictus: qui Conjugalem, Paternam & Herilem Societatem complectitur, estque velut seminarium Ecclesiastici ac Politici ordinis.

* Prodeunt enim ex Societate domestica *partim*, qui ad Ministerium Ecclesiasticum, *partim* qui ad Magistratûs civilis officium admovendi sunt; *partim* etiam qui Auditorum ac Subditorum nomen & rationem sustinent. Vid B. Auct. §. 1.

2. Quid est Societas Conjugalis, seu Conjugium?

Conjugium est Societas seu conjunctio unius Maris & unius fœminæ, indissolubilis, juxta divinam institutionem, ex mutuo utriusque consensu nata, ad generationem prolis, & mutuum vitæ adjutorium. §. 44.

* 3. Quis

*3. Quis est primus *Auctor* Conjugij?

Primarius Conjugij Auctor & causa est trinunus Deus solus. Nam ipse (1) homines creavit cum quadam propensione ad conjunctionem maritalem. (2) Homines principijs & fundamentis rectæ rationis instruxit, quorum ductu intelligerent differentiam conjunctionis corporum, quatenus inter ipsos, & quatenus inter bruta, locum habet. (3) Solenniter instituit Deus conjugium, Gen. II, 21. conf. Matth XIX, 4. 5.

(4) Leges plurimas ad conjugium spectantes dedit, v. g. de gradibus consangvinitatis, conjugium impedientibus, de pœna adulterii &c. (5) instigat personas singulas ad conjugium ineundum aptas, atque corda contrahentium conjugium flectit, vel saltem occasionem suggerit ad contrahendum matrimonium. vid. Prov. XVIII, 22. XIX, 14. §. 2.

*4. Quisnam est *secundarius* Auctor Conjugij?

Secundarius Auctor conjugij contrahendi sunt *partim* Conjuges ipsi, quatenus inter se contrahunt; *partim* eorum Parentes, & in quorum contrahentes matrimonium sunt potestate. § 3.

5. Ergone *Consensus* Parentum, & eorum, qui parentum vices subeunt, ad Matrimonium ineundum necessariò requiritur?

Parentum consensus, ad conjugium honeste valideque

lideque contrahendum, adeo est necessarius, ut sine hoc conjugium legitimum esse nequeat. Etenim consensum hunc α. postulat ipsa contractûs natura, ut scilicet contrahentes sint sui juris, cum tamen liberi parentum potestati, de jure sint subjecti. Si igitur liberi, volunt esse à Parentibus liberi; parentum consensu opus habent.

β. Scriptura Sacra adprobat, quando Parentibus potestatem dirigendi conjugia liberorum tribuit, ita ut illi possint suô dissensu impedire, quo minus hi cum infidelibus conjugia inire possint, vid. Devt. VII, 3. Eadem quoque docet filiam defloratam, quam stuprator sibi conjugem petit, à parente denegari posse, Exod. XXII, 16. 17. §. eod.

*6. In quo vero *Consensus* tam Parentum, quam Contrahentium Matrimonium *consistit?*

Consensus hic consistit *partim* in internis voluntatis actibus, quando nempe & contrahentium mutuo invicem, & Parentum utriusque partis contrahentium, eadem est voluntas; *partim* in externis, quando eadem est voluntas per actus externos mutuæ ac liberæ promissionis de cohabitatione conjugali manifestatur, & id certâ arrhâ seu arrabone exprimitur, confirmatur, atque ita demum inter partes contrahentes vinculum conjugale inducitur vid. Gen XXIV, 50. 51. 57. 58. Interim si promissio alterutri parti, per vim aut metum tantum extorqueatur; aut ignorantia personæ, vel circumstantiæ, fini primario conjugij directe adversantis intercesserit: consensus verus ac validus non erit, §. 6.

7. Quid

7. Quid de *Sponsaliis* contrahentium Matrimonium censes?

Quandoquidem ea nihil aliud sunt, quam stipulationis & sponsionis in causa Matrimonii contractus, vetustissima consvetudine adprobatus; merito igitur & hodie observantur. * Adpellantur autem alia, *de præsenti*, alia vero *de futuro* sponsalia. *Illa* simpliciter inferunt rationem contracti matrimonij, licet nondum consummati. *Hæc* non habent rationem Matrimonij contracti absolutè, nisi novô accedente consensu, qui verbis de præsenti exprimatur: siquidem prior contractus vel interiore contrahentium ætate, vel nondum perspectis circumstantiis probe observandis, vel alias, invalidus fiat. §. eod.

8. Quid autem de *Copula* & Benedictione Sacerdotali statuis?

Sane Copulatio ista gravissimis de Causis, non tam quidem ad contrahendum, quam consummandum Matrimonium, ab Ecclesia Christiana est instituta. Et quidem inprimis, (1) ut de Auctore & sanctitate atque indissolubilitate, Conjugii, de benedictione divina & officijs Conjugalibus, deque molestiarum tolerantia, contrahentes moneantur.

(2) Ut de legitima ipsorum conjunctione publice constet: Exusu quippe communi in Ecclesia loquendi, personæ contrahentes, ante copulationem Sacerdotalem, sponsi potius & sponsæ, quam conjuges; & contractus inter ipsas initus, non tam

conjugij aut nuptiarum, quam sponsalium nomine adpellatur. Atque adeo necesse est, ut omnia decenter & ordine in Ecclesia fiant juxta 1. Cor. XIV, 40.

(2) Ut ipsi conjuges novi, DEO per preces commendentur. §. 7.

9. Quot & quænam Personæ Matrimonium legitime inire possunt?

Personæ istæ, quæ conjugio copulantur; (1) sint unus Mas, & fœmina, oportet; non autem vel plures mares cum una fœmina, vel plures fœminæ cum uno mare. Vid. Matth. XIX, 4. 5. 9. ubi Christus vi primævæ institutionis (de qua Gen. II, 24.) duas personas matrimonio jungendas, ita docet, ut simul addat, adulterij reum esse, qui uxori viventi alteram super inducit.

(2) Sint habiles, cum ratione ætatis, tum etiam ipsius potentiæ naturalis, ad reddendum debitum conjugale, sive ad generandum liberos, & restingvendas alteri flammas ustionum. Interim *senum* conjugia, quæ ad mutuum vitæ adjutorium rationaliter ineuntur, non in universum damnantur.

(3) Sint extra consangvinitatem & adfinitatem mutuam, quæ forte conjunctioni eorum, obstet. Nam Levit. XVIII, 6. omnes in universum prohibemur *carnem carnis*, i. e. personam carne propinquam matrimonio nobis jungere. §. 8.

*10. An-

* 10. Annon vero *Polygamia* & *Polyginia* sunt Christianis licita?

Polygamiam & Polyginiam, seu conjunctionem conjugalem, sive unius fœminæ, cum pluribus viris, sive unius viri, cum pluribus uxoribus, hominibus in primis Christianis non esse licita, inde constat, quia (1) hæc per se & sua natura important adulterium, ductore doctoreque Christô, Matth. XIX, 5. 9. (2) Pugnat cum primæva institutione (Gen. II, 24.) & jure naturæ.

(3) Paulus etiam docet, Virum non habere jus admittendi mulierem aliam in sui corporis conjunctionem (id quod & de mulieribus sentiendum) per matrimonium: vid. 1. Cor. VII, 3.

Denique (4) ex ipso fine conjugij, sobolis scilicet procreatione, & mutuo in vita adjutorio, recta ratio facile colligere potest, Polygamiam & Polyginiam, naturali rationi non convenire: nimirum quod non conveniat illi procreatio sobolis ex vaga libidine; neque ea conjunctio, quæ amori & paci conjugali obstat. Interim utut *simultanea Polygamia* maxime sit illicita; *successiva* tamen Polygamia, quam vocant, est licita. Nempe moriente alterutro conjuge, vinculum conjugale revera solvitur, & conjugi superstiti denuo licet cum alia quadam persona inire matrimonium. §. eod. & 35. 36.

* 11. Ast quid de *Clericis* & *Monialibus* statuendum, num & his in matrimonio vivere licet?

Quidni vero? Conjugium namque omnium hominum utriusque sexûs gratiâ, quos natura aptos ad id fecit, citra differentiam statûs Ecclesiastici & secularis, à DEO est institutum. Nam [1.] etiam in Clericos, Moniales & omnes, qui sunt in statu Ecclesiastico, utriusque sexus, cadit, non solum inclinatio illa naturalis, ad procreandam sobolem, & ad mutuum vitæ consortium; sed & necessitas & indigentia mutui adjutorii, cum ad procreationem sobolis, tum ad vitam bene degendam.

(2.) Paulus exertis docet verbis; ut *Episcopi & Diaconi sint irreprehensibiles, unius uxoris viri, qui liberis bene præsint, & propriis domibus.* 1. Tim. III, 2. 12. Similiter mandat Tito suo, ut constituat oppidatim *Presbyteros, inculpatos, unius uxoris viros, liberosque habentes fideles*, Tit. 1, 6. Denique provocat ad auctoritatem Apostolorum fere omnium, in Matrimonio viventium. Annon, inquiens, *habemus facultatem, sororem uxorem circumducendi, ut & reliqui Apostoli* & fratres Domini & Cephas? 1. Cor. IX, 5. Ex quibus dictis manifeste constat honestas conjugii Clericorum. Interim *Cælibatus* libere & caste servatus suâ laude fraudandus non est. vid. 1. Cor. VII. 1. §. 32. seqq. §. 37. 4. & 5.

12. Quid vero est *consanguinitas*, quæ Matrimonium ineundum prohibet?

Consanguinitas est adtinentia personarum, quarum una ex altera, aut, quæ (duæ vel plures) ex una quædam, per carnalem generationem descendunt, §. 9.

13. Quid

13. Quid autem est *Adfinitas ?*

Adfinitas est propinquitas personarum ex nuptiis proveniens, ita ut qui cum conjuge alterutro sunt caro una, intercedente inter ipsos consanguinitate, hi etiam alteri conjugi sint carne propinqui, eò quod conjuges inter se facti sunt una caro. Sic quoque, alterius conjugis consanguinei fiunt alteri conjugi adfines. Non autem consanguinei alterutrius conjugis, consanguineis alterius conjugis ita fiunt adfines, ut nuptiæ inter eos iniri nequeant. §. 9. & 10.

14. Quid porro per Lineam circa Matrimonium observandam intelligitur ?

Linea est gradunm consanguinitatis, vel Adfinitatis considerandi & numerandi ratio, quando ab uno quodam eodemque contrahentium Patre descenditur ad ejus filios, vel filias, & adfines in secundam, tertiam vel quartam ejus generationem. * Seu brevius :

(2.) Linea est collectio & numeratio personarum, ab eodem stipite (seu generante communi, aut personâ, à qua, velut ex arbore rami subsequentes posteri proveniunt) descendentium, continens gradus. §. 12.

15. Quid tandem hic per Gradus intelligis ?

Vox gradus est Metaphorica à gradibus scalarum, vel locorum proclivium desumta. Denotat autem quà rem certam numerandi rationem quà cogno-

cognoscitur, quotâ Agnationis seu Consanguinitatis,& Cognationis seu Adfinitatis distantiâ personæ contrahentes Matrimonium, inter se differant. §. 15.

*16. Quomodo *Linea* Consanguinitatis & Adfinitatis dividitur?

In *Rectam* & *Collateralem*. *Illa* est inter personas quarum una ab altera descendit; seu: in qua vel rectâ adscendimas à genitis ad generantes; atque ea propter vocatur Adscendens; vel rectà descendimus à generantibus ad genitos, eamque ob rem *descendens* adpellatur.

Hæc seu *Collateralis* Linêa, est inter personas, quarum neutra ab altera, sed utraque ab una quadam tertia persona descendit: adeoque propinqui, non & generantes & geniti subordinantur sed sub uno generante sibi à latere junguntur. §. 13.

*17. Qui porro Linea Collateralis distinguitur?

Collateralis Linea subdividitur in *æqualem* & in *inæqualem*. *Æqualis* dicitur, quæ est inter personas æqualiter eodemque gradu distantes à communi stipite. *Inæqualis* vero vocatur, quando una personarum cognatarum propius, altera remotius quoad diversitatem & numeros graduum, à communi stipite distat. §. 14.

*18. Quænam vero est ratio computandi Propinquitatis Gradus?

Hæc computandi ratio in Jure Civili nonnihil ali-

aliter atque in Jure Canonico, est præscripta. Nam (α.) licet quoad lineam rectam conveniat; quoad collateralem tamen plurimum differt. (β) In Jure Civili unâ tantum nititur Regula (nempe: *Quot sunt generationes, tot sunt gradus*) quæ ad causas successionum atque adeundæ hæreditatis pertinet. In Jure vero Canonico pro diversitate Linearum diversis etiam tribus regulis hæc computandi ratio comprehenditur. §. 16.

* 19. Dic regulam primam ad Lineam rectam pertinentem?

Canonistæ, & qui eos sequuntur, vulgò ea ita formarunt: *Quot sunt personæ, de quarum cognatione quæritur, computatis, si qua sint, intermediis, unâ demta, tot sunt gradus inter eas.* Clarius ita exprimi potest: *Quot intercedunt* (in linea recta) *generationes inter personas, de quarum propinquitate vel distantia quæritur tot sunt gradus inter illas.* Sic v. g. Pater & filius vel filia, ut *Jacob* & *Dina*, sunt in primo consanguinitatis gradu in linea recta propinqui: Avus & Nepos aut Neptis, ut *Isaac* & *Dina*, duobus gradibus à se invicem distant: Proavus vero & Pronepos aut proneptis, v. g. *Abraham* & *Dina*, tertio gradu mutuo à se invicem distant. §. 17.

* 20. Adfer alteram Regulam, ad *Lineam Collateralem æqualem* spectantem?

Quot gradibus distant personæ, de quarum cognatione quæritur, à communi stipite, tot gradibus distant inter se. Sic v. g. frater & soror, ceu *Laban*

ban & *Rebecca* ex *Bethuele* nati, sunt consanguinei quoad gradum primum: cum & *ille*, & *hæc à Bethuel* gradu primo cognationis in Linea recta distent. Sed *Jacob* Rebeccæ filius, & *Rachel*, Labanis filia, consobrini, distant gradu secundô: quia & *ille* & *hæc* à Bethuele, Avo & communi stipite, gradu secundô consanguinitatis distant. §. 15.

* 21. Quænam denique est regula tertia, ad *lineam Collateralem inæqualem* pertinens?

Quot gradibus persona remotior ex his, de quarum propinquitate quæritur, à communi stipite distat, tot gradibus persona illa inter se distant. Sic v. g. *Esau*, Isaaci filius, & *Dina*, Isaaci ex Jacob suscepta Neptis, in secundo gradu lineæ collateralis inæqualis inter se junguntur. Non autem gradus hi pro ratione personæ *propinquioris* numerentur: Sic enim futurum esset, ut valde distantes personæ, æqualiter distare judicentur. Itaque licet *Esavus* ab Isaaco, qui communis stipes est, unô absit gradu; *Dina* tamen ab eo, secundo gradu distat. §. 19.

* 22. Edisseras, amabo, quînam in *Linea recta* consangvineorum Nuptiæ prohibentur?

In linea recta nuptiæ simpliciter omnes & in infinitum prohibentur, tam lege divina Morali, quam naturali. §. 20.

* 23. Unde probas Lege divinâ nuptias in Linea recta in infinitum prohiberi?

(1. Quia

(1) Quia in primæva institutione Conjugii expresse *homo* à DEO jubetur, *derelinquere Patrem suum & matrem suam*, cum quibus jam est una caro, & fieri *una caro* cum Uxore, cum qua nondum antea fuit una caro, vid. Gen. II, 24.

(2) Levitici quoque XVIII, 10. exertis verbis & *explicite* primus & secundus tantum quidem gradus prohibentur; *implicite* tamen & propter respectum parentum ac liberorum etiam cæteros gradus prohiberi certum est. §. 20.

* 24. Proba lege naturali nuptias in linea recta in infinitum prohiberi?

Quia [1] lex ista per se & vi materiæ subjectæ, etiam præcisâ & non considerata voluntate divi legislatoris, obligandi vim habet. Est enim vinculum generatione contractum prorsus naturale: Quia (2) & Levit. XVIII, 7. & 10. adjicitur prohibitionis ratio, ex ipsa re subjecta desumta §. eod.

* 25. Ast velim, quâ ratione propinquitas carnis inter Parentes & liberos Nuptias impedit?

Hæc propinquitas impedit nuptias, (1) per identitatem carnis *Physicam*, per quam non licet, ut vel filius sangvinem, à parentibus in se derivatum, in genetricem refundat; vel genitor sangvinem suum in filiam, quæ sui pars est, & caro sua, transfundat; (2) per respectum Parentum & liberorum, quatenus Parentibus natura superioritatem & auctoritatem in liberos concessit; & his vicissim submissionem, reverentiam & verecundiam erga parentes imperat, cui repugnat Parentes & libe-

beros carnaliter misceri. Et cum respectus iste Parentum, qui ex generatione resultat, nunquam exspiret; igitur prohibentur Nuptiæ in *Linea recta* in infinitum. §. eod.

* 26. Quinam Gradus prohibentur in Linea *collaterali æquali*?

In Linea collaterali æquali prohibentur nuptiæ de *jure divino* ac naturali in gradu primo: nempe inter fratres & sorores, sive germanos, sive in alterutro parente unitos. vid. Levit. XVIII, 9. XX, 11. Ex *Jure naturæ* probatur hoc inde, quod liberi sint aliquid parentum & pars carnis eorum: adeoque, sicut cum parentibus sunt una caro; ita inter se ipsos sunt una caro, licet non proprie, sed quatenus caro in Parentibus est unita. §. 21,

* 27. Qui vero Gradus in Linea collaterali æquali de Jure Ecclesiastico prohibentur?

De Jure Ecclesiastico prohibentur Nuptiæ in Linea collaterali æquali, non solum in primo; sed & secundo gradu, scilicet inter consobrinos. Nam licet Scriptura hic taceat; & licet etiam unitas carnis inter consobrinos in uno generante non inveniatur, nisi remota, quæ proprie loquendo non est unitas; prohibet tamen Ecclesia nuptias in gradibus jure divino non prohibitis, propter reverentiam legum divinarum magis tuendam, & ut homines magis arceantur à conjugiis jure divino ac naturali prohibitis. §. eod.

* 28. At

* 28. At in Linea collaterali *inæquali* qui tandem gradus consanguinitatis prohibentur?

In Linea collaterali inæquali prohibentur nuptiæ, in gradu consanguinitatis secundo, de *jure divino* ac naturali: ceu videre est Levit. XVIII, 12. 13. XX, 19. Nam sponsi Parentis Soror, & Sponsæ Parentis Frater, aliæque personæ similiter à se invicem distantes sunt profecto cum stipite communi una caro. Hinc etiam de *Jure Ecclesiastico* prohibentur quoque in gradu tertio; immo etiam in gradu quarto, si persona altera uno tantum gradu à communi stipite distet. Enimvero talis persona, sicut cum Fratre, aut Sorore una caro est, nimirum propter unum Parentem; ita descentibus ex fratre & Sorore, Patris aut Matris loco est. §. 22.

* 29. *Adfinitas* autem *quotuplex* est?

Quandoquidem juxta Regulam Canonistarum: *Persona addicta personæ per carnis copulam genus non gradum mutet;* idcirco Adfinitatis *genera tria* constitui solent. *Primi* generis adfinitas, est, quæ mediante una persona, per copulam carnalem juncta contrahitur. e. g. *Nahor*, Abrahami frater, & *Sara*, Abrahami Uxor, fuerunt adfines, mediante solô Abrahamo & propter ejus cum Sacra nuptias.

Secundi generis Adfinitas est, quæ mediantibus duabus personis, per totidem nuptias, fit. Ita *Kethura*, Abrahami Uxor, (post Saræ mortem) & *Sara consanguinei*, adfines fuerunt mediante A-

brahamo & Sara, nec nec non per conjugium primum inter Abrahamum & Saram; itemque per alterum inter Abrahamum & Kethuram. *Tertii* generis Adfinitas contrahitur mediantibus tribus personis, totidemque nuptiis.v.g. Si Kethura, mortuô Abrahamo, alteri viro nupsisset; hoc ipsô *consanguinei Saræ, alteri marito Kethuræ*, adfines facti fuissent, mediantibus ternis nuptiis. Interim, licet olim primus gradus, secundi generis, *lege* solum *Ecclesiastica*, fuerit prohibitus; nihilominus tamen hodie, *secundum & tertium* genus adfinitatis matrimonium non impediunt: Et in primo genere solummodo quoad gradus quosdam nuptiæ prohibentur. §.23.

*30. Quâ vero ratione Lineæ & *Gradus Adfinitatis* æstimantur?

Lineæ & Gradus Adfinitatis æstimantur & computantur, pro ratione linearum & graduum consanguinitatis. Nam aliàs in Adfinitate per se & proprie non dantur gradus. Non enim Adfinium unus ab altero descendit. Igitur *quotô gradu, & quâ linea consanguinitatis, persona, per quam intercedente conjugiô, adfinitas contrahitur, consanguineis conjuncta est: eô gradu & lineâ consanguinei iidem censeantur & sint Adfines alteri personæ, cui illa matrimonio copulata est.* Sic v.g. cũ *Abraham & Tharah*, filius & Pater, in primo gradu lineæ rectæ sit consanguinei: *Sara*, Abrahæ Uxor, & Tharah, nurus & Socer, sunt adfines in eodem gradu primo lineæ rectæ. Eadem *Sara est Nahori* Adfinis, in primo gradu lineæ collateralis æqua-

æqualis: quia Abraham & Nahor sunt fratres. Rursus *Sara*, est Lothi Adfinis in secundo gradu lineæ collateralis inæqualis: quia Loth, fratris Abrahami Haranis filius; Sara autem Abrahamo, Lothi Patruo, (uxor) juncta est. §. 24.

* 13. Recense *alteram* de Adfinitate Regulam?

Quô gradu, & quâ linea consanguineis Matrimonium inire non licet, eâ linea & gradu Adfinitatis adfines matrimonium contrahere prohibentur, non duntaxat jure divinô, sed & naturali. conf. Levit. l. c. §. 25.

* 32. Quomodo prohibentur nuptiæ in Linea Adfinitatis recta?

In linea recta Adfinitatis prohibentur nuptiæ de jure divino ac naturali simpliciter & in infinitum. Vid. Levit. XVIII, 8. Ubi conjugium cum *Noverca*, v. 15. cum *nuru*, & cum *privigna*, *& privigni aut privignæ filia* v. 17. prohibetur. conf. c. XX. 11. 12. 1. Cor. V, 1. Et licet tantum primus & secundus gradus in Levitico exprimantur; tamen in cæteris gradibus hujus lineæ respectus parentum & liberorum manet. §. 26.

* 33. Quinam vero Gradus in Adfinium *Linea collaterali æquali* prohibentur?

In Linea collaterali æquali, jure divino & naturali prohibentur â nuptiis Adfines in gradu primo, conf. Levit. XVIII, 16. XX, 21, ubi Matrimo-

nium cum *fratris* defuncti *vidua* prohibetur. Huc pertinet etiam conjugium cum defunctæ *Uxoris* Sorore, quod Levit. XVIII, 18. prohibetur, conf. v. 6. In Jure naturæ vero tale Matrimonium ideo prohibetur, quia in conjugio cum *fratria* transfundit frater defuncti sanguinem suum in eam, quæ una caro est cum eô, cum quo ipse carnem suam ab uno genitore accepit: ita ut illa ei jam sit loco sororis. §. 27.

*34. Quinam denique Gradus Adfinitatis in Linea *collaterali inæquali* prohibentur?

In linea collaterali inæquali prohibentur jure divino ac naturali conjugia Adfinium gradu secundo. Quæ *jus divinum*, probatur id Levit. XVIII. 14. XX, 20. ubi conjugium cum *Uxore Patrui*, vel *Avunculi*, prohibetur. Imo vero propter personas expressas, etiam ad alias, iisdem gradibus sese adtinentes lex divina implicitè extenditur. Quà jus naturale vero, probatur hæc probitio gradus secundi inde, quod respectus parentum & liberorum maneat, atque unitas carnis cum persona ea, cum qua altera persona illa, quoad unum generantem communem, una caro est. §. 28.

*35. Sed quid de conjugiis, in Gradibus *probibitis* initis, statuis, annè hæc omnia sunt dissolvenda?

Inter Conjugia illa, in gradibus prohibitis inita, hæc differentia esse videtur, ut alia omnino sint dis-

dissolvenda; alia,, inflictâ pœna arbitraria, tolerari possint. §. 29.

* 36. Quæ ergo Conjugia in Gradibus prohibitis inita sunt dissolvenda?

Quibus DEUS Levit. XX. *capitis supplicium* expresse constituit, ob tantam eorum turpitudinem & abominationem, ut nefas sit, conjuges in illis perseverare. Proinde conjugia *consangvineorum* & *Adfinum* in Linea recta, inter adscendentes pariter atque descendentes, item, conjugia consangvineorum in gradu primo lineæ collateralis, ob insigne & detestabile scandalum, quod præbent, sunt dirimenda §. eod.

* 37. Quæ autem conjugia in Gradibus prohibitis inita, inflictâ pœna, tolerari possunt?

Quibus Levit. xx. capitis supplicium constitutum non est; v.g. quæ in consangvinitate gradu secundo lineæ collateralis inæqualis, & in Adfinitate, gradu secundo lineæ collateralis inæqualis, contracta & consummata sunt. In his enim casibus videntur conjuges per leges, in cap. XVIII. & XX. Levit. contentas in conjugio contracto & consummato relinqui, & Magistratui pœnæ arbitrariæ subjici, cum comminatione sterilitatis. §. eod.

* 38. Siccine ergo *Ecclesiæ* ac Magistratui in Gradibus prohibitis *dispensare* licet?

Ecclesia & Magistratus, qui conjugia illa, quæ

DEUS dirimere non jussit, etiam non dirimendo tolerant; ideo legem prohibentem conjugia illa, non relaxant, sed suo vigori relinquunt. Hinc tolerantia illa Ecclesiæ & Magistratûs, non idem erit, ac dispensatio in Legibus Levit. XVIII & XX. prohibitis. *Nam Dispensatio est Legis proprie, quoad vim obligandi, relaxatio in his*, quæ lex præcipit aut prohibet. At hac ratione in Legibus divinis nulli mortalium dispensare licet. §. eod.

* 39. Sed quid de Ecclesiasticis Legibus hic censendum, num in illis dispensare Ecclesiæ licet?

In quibus gradibus conjugia tantum per legem *positivam* Ecclesiasticam sunt prohibita, in illis Ecclesia proprie loquendo dispensare potest. Ita potest dispensare v. g. in linea collaterali æquali, gradu secundo, inter *consobrinos*: & in linea collaterali inæquali gradu tertio. *Cavendum* tamen est, ne dispensationes nimis frequentes fiant, ac levibus de causis factæ, scandala excitent. §. 30.

* 40. Cur autem vinculum conjugale est *indissolubile*; seu cur Matrimonium recte initum dissolvi non potest?

Vinculum conjugale propter *duas* in primis causas ita est indissolubile, ut perpetuo duret, quamdiu conjuges ambo vivunt: ac ne mutuo quidem dissensu contrahentium rescindi, aut aboleri possit. *Prima* indissolubilitatis ratio est, quod con-

conjugium contractum sit, per consensum de perpetuo & per omnem vitam continuando vitæ consortio, non nisi per mortem solvendo. *Altera* est, in Matrimonij institutione divina fundata, Gen. II, 24. ubi DEUS perhibet: *Propterea deseret vir Patrem suum, & Matrem suam,* & (velut glutine conjunctus ac minime disjungendus) *adhærebit uxori suæ.* Hinc Christus notanter ait. *Quod DEUS conjunxit, homo non separet.* Matth. XIX, 6. conf. 1. Cor. VII, 10. 11. & 27. it. Matth. l.c. v. 5. & Marc. X, 7. Idcirco vi hujus institutionis divinæ, tenentur mas & fœmina non aliter Conjugium inire, quam per irrevocabilem consensum, de perpetua cohabitatione & consortio. Nam si conjugium, ex solo duntaxat conjugum Consensu, suum vigorem, naturam & durabilitatem haberet; post aliquot tempus, rixas, infidelitatem vel alterutrius, vel mutuam mutuumque utriusque dissensum facile dissolveretur. §. 32.

* 41. Num igitur Conjugij legitimi *Vinculum* penitus est *indissolubile*, atque sic *Divortium* nullô casu contingere potest?

Hoc equidem non statuimus. Nam *divortium*, sive conjugij legitimi & validi dissolutio, quoad ipsum conjugale vinculum, duobus casibus duasque ob causas contingere potest. *Prima* divortij causa, est *Adulterium*, propter quod Matrimonium solvi potest, (& solvitur) partique innocenti aliud inire conjugium licet, juxta dogma Christi,

Matth. XIX; 9. V, 32. *Quisquis, inquit, repudiaverit Uxorem, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, adulterium committit.* Ubi duo dicuntur, *unum*: qui repudiat Uxorem non adulterantem, & ducit aliam; ille mœchatur. *Alterum*: qui repudiat uxorem adulteram, & ducit aliam; ille non mœchatur. Unde recte colligitur, quod in casu stupri, aut adulterii, uxorem dimittere, aut per divortium ab ea separari, & ducere aliam, liceat.

Altera divortii causa est, *Malitiosa* desertio, quando alteruter conjugum malitiose deserens vitæ fortunarumque suum socium, (aut sociam) ipse temere rumpit vinculum conjugale. Hinc parti desertæ, declarante Judice competente, potestas competit, novum inire matrimonium. Nam Paulus docet 1. Cor. VII, 15. Si, inquiens, *infidelis discedat. Non est servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi.* i.e. Si conjunx aut conjux se malitiose segregat, ab altera parte, & divortium cum ea facit, non obligatur, ut ei non liceat aliam ducere, aut alteri nubere; sed liber, aut libera est à vinculo conjugij atque ab obligatione ad consortium conjugale cum desertore aut desertrice. §. 33.

*42. Num & illegitime conjunctarum personarum separatio, est *divortium* dicendum?

Nequaquam. Quando enim personæ illegitime conjunctæ, (v. g. in gradibus consangvinitatis, juxta quæst. 36. sup. aut ubi error personæ, vel impotentia alterutrius conjugis intercessit) separantur, id non tam divortium est, quam *declaratio*, quod

quod nimirum in conjunctione illa vinculum conjugale legitimum non fuerit: cum requisita legitimi Matrimonii, illic observata non sint. §. 34.

* 43. Igitur neque *separatio* Conjugum quoad *thorum* & *mensam* divortium erit?

Omnino non: Nam quando conjuges, propter inimicitias graviores, & quæ incorrigibiles atque cum periculo vitæ alterutrius conjugis conjunctæ adparent, quoad *thorum* & *mensam*, tantum separantur, vinculô interim conjugali salvô manente; illud proprie non est divortium; sed tantum *suspensio* actionum cohabitationis & officii conjugalis. Interim neuter conjux aliud matrimonium inire potest; imô nonnunquam alimenta uxori maritus dare tenetur. §. 35.

* 44. Cæterum, cur Matrimonium à DEO est institutum atque ab hominibus ineundum?

Ob *tres* palmarias causas (1) propter sobolis procreationem. Conjunctio enim Maris & fœminæ in unam carnem, per se proxime ordinatur ad prolis generationem juxta mandatum DEI, Gen. 28. *Crescite & multiplicamini, & replete terram*.

(2) Propter mutuum adjutorium, ut scilicet alter alterum, velut suam carnem curet, ac in re familiari, in educatione sobolis, ac vita tota, mutuo se adjuvent. *Non* est enim *bonum hominem esse solum*, inquit Auctor Conjugii DEUS, Gen. II, 18.

(3) Propter adhibendum remedium adversus pravas libidines. Paulus quippe docet, ut *unusquisque propter fœortationes, suam Uxorem, & proprium quæque virum habeat* 1. Cor. VII, 2. & v. 9. *Qui se*, ait *non continent, matrimonium contrahant, : nam melius est matrimonium contrahere, quam uri.* §. 28. 29.

* 45. Quænam sunt *Conjugum* mutua *officia* utriusque communia?

Officia conjugum utriusque communia sunt inprimis *triplicia* (1) conjunctio animorum, seu Amor mutuus & studium juvandi. Nam *viri* debent *diligere Uxores suas, sicut & Christus diligit Ecclesiam, & sicut sua ipsorum corpora, inquit Paulus* Ephes. V, 25, 28. §. 41.

(2) Conjunctio corporum, sed in sanctificatione & honore, ut *vir uxori debitam benevolentiam reddat*, similiter & uxor viro, 1. Cor. VII, 3. & ut *unusquisque sciat vas suum possidere in sanctificatione & honore*, docente Paulo 1. Thess. IV, 4.

(3) Tertium officium Conjugum commune est, conjunctio facultatum, quoad usum, & ad sublevandam alterius indigentiam, juxta mentem Pauli Ephes. V, 29. §. 41.

* 46. Quænam sunt in *specie Mariti* erga uxorem suam officia?

Mariti officia sunt præcipue *quadruplicia* ut:

(1.) Uxorem protegat, exemplo *Jacobi*, partem opum impendentis, ut Uxorem servaret, vid. Gen. XXII, 13. & *Davidis*, conjugem abreptam suo periculo

riculo ab hostibus repetentis, 1.Sam. XXX, 3. seqq.

(2.) Consiliis & monitis eam repat, quandoquidem vir caput Uxoris dicitur, Eph. V, 23.

(3.) Necessaria hujus vitæ eidem suppeditet, tanquam suo corpori, Ephes. V, 29.

(4.) Blandâ conversatione eam recreet, & non sit adversus eam amarulentus, Coloss. III, 19. §. 46.

* 47. Contra vero, quæ *Officia Uxoris* sunt in Maritum?

Officia Uxoris exga Maritum suum sunt *triplicis* generis; ut (1.) Maritum suum honoret quemadmodum Sara Abraham Dominum suum adpellavit, 1. Pet. III, 6.

(2.) Marito suo obediat, & sicut Ecclesia Christo, ita & Uxores suis viris sese subjiciant, perhibente Paulô & Petro Ephes. V, 22. 24. Col. III, 18. 1.Pet. 5. §. 43.

* 48. Quomodo definitur Societas Conjugalis seu Conjugium?

Conjugium est Societas seu Conjunctio unius Maris & unius Fœminæ indissolubilis, juxta divinam institutionm, ex mutuo utriusque Consensu nata ad generationem prolis & mutuum vitæ adjutorium. §. 44.

* 48. Quid est *Societas Paterna?*

Societas Paterna est Societas seu Conjunctio parentum ac liberorum, divinitus instituta, ad educationem liberorum & totius societatis salutem. §. 55.

* 50.

* 50. Unde probas, DEUM esse Societatis Paternæ Auctorem?

(1.) Quia DEUS non solum conjugalis Societatis causa & Auctor est, ex qua Paterna proficiscitur; sed & generandi facultatem primis hominibus ipse concessit, ut Parentes fieri possent.

(2.) Quia DEUS semper cum conjugibus generantibus concurrit, juxta Psal. CXIX, 13. Job. X, 8. & seqq.

(3.) Quia propensionem mutuam Parentibus & liberis ad se invicem impressit.

(4.) quia leges utriusque Parentibus scilicet & liberis, posuit, Exod XX, 12. Eph. VI, 1 - 4. Colos. III, 20. 21.

(5.) quia benedictione suâ societatem hanc adjuvat, Exod. XX, 12. Eph. VI, 2. §. 45.

* 51. In quo vero Societas Paterna consistit?

Societas Paterna in eo *consistit*, quando Parentes, liberos suos, & hi vicissim suos Parentes debite decenterque respiciunt, amant, honorant, & in unam quandam Societatem conjuncti, ad mutua officia obligantur. Interdum etiam Pater solus cum filio aut filia; vel mater sola cum filia aut filio, hanc societatem constituunt. Quæ societas tam diu manet, quamdiu Parentes & liberi vivunt. §. 50. 49. & 51.

52. Quænam sunt *officia Parentum* erga liberos suos?

Officia Parentum sunt (1.) ut suppeditent liberis

victum & amictum donec liberi sibi ipsis necessaria parare possunt. Nam si quis suis domesticis non providet, fidem abnegavit, & est infideli deterior.

(2.) Ut liberos suos in omni pietate, scientiis & artibus erudiri, atque eos temporalem & æternam salutem consequi curent, in disciplina & admonitione Domini eos enutriendo. Utrumque hoc Parentum officium probatur ex dictis seqq.

1. Tim. V. 8. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit*, & est infideli deterior.

Matth. VII, 9. 10. *Quis ex vobis est homo, quem si petierit filius panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porrigerit ei?*

Ephes. VI, 4. *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini.* conf. Coloss. III, 21.

Prov. XXIX, 15. 17. *Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ* conf. 1. Sam. III, 12. 23. §. 53.

53. Quæ vero sunt *liberorum* in suos Parentes officia?

Liberorum officia sunt, ut (1.) filiali amore & reverentia animi, tam interiore, quam exteriore Parentes suos semper, etiam in eorum senio, prosequantur, ac eisdem filialem timorem, honorem, tam in verbis,, quam factis, itemque debitum obse-

sequium & beneficentiam, præsertim in senectute eos alendo, præstent, & patienter ipsorum nævos æquoque animo ferant, nec eos unquam contemnant vel inobedientiâ & id genus dictis aut factis ad iracundiam provocent, juxta mandatum DEI.

Ephes. VI. 1. 2. & 3. *Filii obedite Parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. Honora Patrem tuum & Matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione) Ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.*

Levit. XX, 9. *Qui maledixerit Patri suo aut Matri, morte moriatur: patri matrique qui maledixerit, sanguis ejus sit super eum.*

Prov. I, 8. *Fili mi, audi disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ.* conf. c. III, 1, c. IV. 1. c. VI, 20. c. XXIII, 22.

Prov. XXX, 17. *Oculum, qui subsannat Patrem & qui despicit partum Matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, comedant eum filii aquilæ* conf. Coloss. III, 20. 1. Tim. V, 4. Syr. III, 7. 8. Levit. XIX, 3. §. 54.

* 54. Adfer definitionem Societatis Paternæ?

Societas Paterna est Societas seu Conjunctio Parentum ac liberorum divinitus instituta, ad educationem liberorum & totius societatis salutem. §. 55.

* 55. Quid est Societas Herilis?

Societas herilis est Societas, seu conjunctio inter Dominum & Servum, Dominam item & ancil-

cillam, juxta voluntatem divinam ordinata ad mutuam utilitatem. §. 65.

* 56. Estne vero & hæc Societas à Deo instituta?

Quidni? *Etenim*, inquit Paulus, *qui in Domino vocatus est Servus; libertus Domini est.* 1. Cor. VII, 22. conf. Coloss. III, 23. 24. Et licet Societas Herilis demum post lapsum originem suam acceperit; notum tamen est, quomodo DEUS boni ordinis Auctor, etiam certis legibus herilem statum muniverit, Exod. XXI, 1. seqq. Eph. VI, 5. Colos. III, 23. 24. & leges illas observantibus, bona diversa promisit, 1. Pet. II, 19. Coloss. III, 24. IV, 1. Eph. VI, 8. §. 56.

* 57. Quinam homines ad Herilem Societatem pertinent?

Quilibet Dominus & Servus, itemque quælibet Domina & ancilla. Atque illis imperium, his obsequium debitum competit, ad mutuam utrorumque utilitatem, & Societatis publicæ commodum. §. 57. 60. 61. 62.

58. Quodnam est *officium Dominorum* erga suos Servos?

Officium Dominorum & Dominarum consistit [1.] in æqua laborum impositione & Domini jus & æquum præstent servis, ac sciant se quoque habere Dominum in cœlis. Ante omnia vero studeant, ut servi in pietate & virtutibus proficiant, vitia fugiant, & Sabbatum laboribus suis non profanent, Exod. XX, 10. Deut. V, 14. Colos IV, 1. conf. Syr. XXXIII, 25. 30. (2.) necessariorum hujus vitæ suppe-

dita-

ditatione, mercedis promissæ solutione, itemque ægrotantium curâ, exemplô Centurionis Capernaitici. Nam *dignus est operarius alimento & mercede suâ.* Matth. X, 10. Deut. XXIV, 14. 15. Jac. V, 14. Matth. VIII, 6. (3.) Officium Dominorum consistit etiam in prudente & moderata Servorum directione atque castigatione: abstinendo scilicet ab intempestivis minis. Ephes. V, 9. Prov. XXIX, 19. 21. Syr. XXXIII, 25-30. §. 63.

59. In quo denique *Servorum officium* consistit?

Officium Servorum consistit in primis

(1.) In debito amore & honore suorum Dominorum, ut eos instar Patrum suorum, revereantur vi quarti præcepti.

(2.) In debito obsequio, obediendo iis, qui Domini sunt, juxta carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis sui tanquam Christo. Non ad oculum servientes, velut hominibus placere studentes, sed tanquam servi Christi, facientes quæ vult DEUS, ex animo cum benevolentia servientes Domino, & non hominibus, Eph. VI, 5. 6. 7. Coloss. III, 22.

(3.) In debita fide & patientia, ut scilicet Dominis suis, non solum bonis & æquis; sed etiam pravis, austeris & iniquis, in omnibus bonis placeant, non contradicentes, nihil suffurantes, sed omnem bonam fidem ostendentes. Tit. II, 9. 10. 1. Pet. II, 18. §. 64.

SOLI DEO GLORIA!

INDEX

INDEX CAPITUM PROLEGOMENORUM.

Cap. I. de Natura Theologiæ pag. 1.
Cap. I. de Scriptura Sacra. p. 6.

PARTIS PRIMÆ.

Cap. I. de DEO Trinuno. p. 23.
II. de Creatione p. 41.
III. de Angelis p. 49.
IV de Imagine Dei in homine p. 69.
VI de Providentia Dei p. 75.
VI. de Beatitudine æterna p. 88.
VII. de Damnatione æterna p. 94.
VIII. de Morte temporali p. 104.
IX. de Resurrectione mortuorum. p. 109.
X. de Judicio extremo & consummatione Seculi p. 113.

PARTIS. II.

Cap. I. de Peccato in genere p. 123.
II. de Peccato Originis in specie, & p. 131.
III. de Peccatis Actualibus p. 139.

PARTIS III.

Cap. I. de Gratia Dei erga homines lapsos p. 152.
II. de Christo. cujus p. 157.
Sectio I de Persona Christi p. 158.
Sectio II. de Statibus Exinanitionis & Exaltationis p. 174.
Sectio III. de Officio Christi p. 178.
Cap. III. de Fide in Christum p. 191.
IV. de Regeneratione & conversione p. 201.
V. de Justificatione, p. 224.

Vl. de Renovatione & Bonis Operibus p. 236.
Vll. de Verbo Legis & Evangelii. p. 252.
Vlll. de Sacramentis in genere, p. 276.
lX. de Sacramentis Veteris Teſtamenti nempe
α. Circumciſione p. 280.
β. Agno Paſchali p. 285.
Cap. X. de Baptiſmo p. 287.
Xl. de Sacra Cœna p. 295.
Cap. Xll. de Prædeſtinatione & reprobatione p. 309.
itemque de Libro Vitæ p. 325.
Cap. Xlll. de Eccleſia p. 328.
ubi etiam de { Conciliis p. 342.
{ Schiſmate p. 344.
{ Syncretiſmo p. 345.
{ & Antichriſto p. 347.
Cap. XlV. de Miniſterio Eccleſiaſtico p. 349.
Cap. XV. de Magiſtratu Politico p. 362.
Cap. XVl. de Statu & Societate Domeſtica p. 378.
ubi etiam { de Conjugio ibid.
{ de Societate { Paterna p. 395
{ Herili p. 398.

NB. Omnia hæc capita memoriæ causâ verſibus inclusa ſunt ſeqq. Prolegomenorum Capp. 2. Theologiæ & Scripturæ natura docetur.

PARTIS I.

Jova, Creatio & Angeli, Imago, Pronœa Beati, Damnati, Mors, Surgentes, poſt Judiciumque.

PARTIS II.

Peccatum in genere, in Specie Adæ hominumque docetur

PAR

PARTIS III.

Gratia cum Christo, atque Fide, Conversio, Justif.
Hinc Bonum Opus, verbum Sacramentum generale.
Fœderis ac veteris Sacramenta, atque Lavacrum.
Pœna Dei, Prædestinat, ac Ecclesia, tandem.
Moxque Statu triplici Capitum concluditur agmen.

